



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Sol Triplex In Eodem Universo**

**Hermann, Amand**

**Sultzbaci, 1676**

Pars IV. Tractans Libros Perihermenias, sicut & de priori, & posteriori  
Analysi Aristotelis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)

# PARS IV.

## TRACTANS LIBROS PERIHERMIAS, SICUT ET DE PRIORI ET POSTERIORI ANALYSI ARISTOTELIS.



Uæ hæcenus tractavi, ad primam spectant  
mentis operationem, in hæc ergò parte com-  
prehendam ea, quæ tam secundam, quam ter-  
tiam concernunt, & ea, quæ secunda sibi ven-  
dicare possit, præstabit liber Perihermenias, seu  
de interpretatione sic dictus, quia agitur in eo  
de propositionibus, earumq; veritate & falsita-  
te, quæ sunt mentis nostræ interpretes, conceptus nostros propo-  
nentes, nam quia anima mortalis corporis carcere clausa, privata  
Angelorum felicitate, qui suos conceptus ad se invicem dirigendo  
summa expeditione ad se invicem loquuntur, & angustiatus spiritus  
inter vasa carnis sicut nihil, nisi per sensuum ministerium & servi-  
tium intelligit, ita nihil nisi his concurrentibus de intellectis mani-  
festare potest; Unde non agitur hic de vocibus simplicibus, quia  
licet hæc aliquid interpretari possint, id non faciunt completè, & in  
quantum voces sunt, sed valde imperfecto modo, qui nunquam suf-  
ficienter quietat intellectum audientis interpretationem, & quam-  
vis Aristoteles de iis etiam hic egerit aequaliter, id tamen non fecit  
alio fine, quam quia inserviunt propositionibus veluti materia. Sup-  
pono autem contra Andronicum Radium, qui ob nonnullas frivo-  
las rationes contrarium sentit, Authorem Libri de Interpretatione  
esse Aristotelem (hoc opus apud Græcos uno complectitur libro,  
apud Latinos duobus) quia sic nunc & defacto sentiunt Boethius,  
D. Thomas, Scotus, Amonius, & etiam dicendi methodus, styli co-  
mitas, proponendi gravitas, Peripateticorum principem Autho-  
rem clamant. Quæ verò tertiam mentis operationem concernent,  
præstabit libri de priori & posteriori Analyti, qui cur sic intitulen-  
tur, dicam, cum de iis specialiter acturus sum. Quia tamen plura jam  
in summulis tetigi, ideò brevitati conabor studere, & a superflua di-  
ctorum repetitione abstinere. Præmittam tamen Disputationem  
de signo, tum quia S. Augustinus dicit lib. 1. de Doct. Christ. cap.  
*Res per signa dicuntur*, & 12. supra Genesin inquit: *Cum loquimur*  
*utiq; signa rerum dantur*; tum quia signorum notitiam plurimum  
juvat ad plenam materiæ hujus notitiam assequendam. Sit igitur

DISPU.

# DISPUTATIO I.

## DE SIGNO.

### QUÆSTIO I.

Quid & in quo consistat significatio formalis?

I.  
D. Augustinus varie definit signum.

Divus Aurelius Augustinus lib. de Magistratu cap. 4. & alibi sæpè definit signum, quòd sit illud, quò aliquid significatur, nam capite supra citato ait: *Dicimus ea signa universaliter omnia, quæ significant aliquid, verumtamen hæc est valde improprie acceptio, nec sufficienter explicat naturam signi, cum non sit notius, quid sit significare, quam quid sit signum esse? nec etiam est intentio Sancti Doctoris, per illud dictum definire proprie signum, sed in communi vulgi acceptione, quare notanter dicit: Dicimus universaliter, quemadmodum solet is, qui applicat ignem ad domum comburere domum, dici & significari, cum tamen significetur, cum revera non comburere sed ignem. Secundò adhuc accipitur signum in laxiori acceptione aliqua pro omni eo, quod aliquid potentia cognoscitivæ representat, sive illud sit spirituale, sive materiale. & in hæc acceptione definit Magister sententiarum Sacramentum, quòd sit invisibilis gratia visibilis forma, id est, visibile signum; frustra enim adderetur visibile, si nullum daretur insensibile signum, hoc est, signum quod nihil representet sensibus, bene tamen potentius insensibilibus & spiritualibus, ut sunt cognitio, character baptismalis, &c. Tertio tandem accipitur proprie, prout ea comprehendit, quæ sub sensum cadunt, cum enim omnis nostra cognitio oriatur à sensibus, ea signa appellare solemus, quæ sensum movent, & in hæc acceptione definit S. Augustinus lib. 2. de Doct. Christ. 1. *Signum est res præter speciem, quam ingerit sensibus aliud aliquid esse faciens in cognitionem venire, seu ut alii & Oviedo legunt, est quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliud facit in cognitionem venire, quas definitiones signi in tertiâ acceptione bonas esse, dubium non est & signum in primâ acceptione solet vocari formale, in secundâ instrumentale, nec de hoc controversatur, bene tamen, an hæc signi definitio competat signo? prout ab utraq; acceptione præscindit, seu prout præscindit à signo formali & instrumentali, & communiter rejicitur; Attamen etiam prout sic abstrahit ab eis.**

II.  
Signum ab Augustino bene definitur.

Dico I. Bene definitur S. Augustinus signum per datam supra definitionem. Hæc est, credo, paucorum & nullius, quem apud me habuisse; Pontius exiguam tam universalis Doctoris reverentiam habens, planè eam rejicit; Attamen Probatur Conclusio primò. Illa est bona definitio alicujus, quæ omni & soli competit absq; superfluitate; sed hæc competit omni signo secundum rationem communem; ergò est bona. Probatur mi. si esset aliquid signum, cui non competeret maximè, essent characteres sacramentales, & alia si quæ dantur

signa spiritualia, sed hæc signa sub hæc definitione comprehenduntur; ergò competit omni & soli, & quòd competat signis materialibus, est extra controversiam. Probatur mi. si non competeret, esset ideò, quia signa spiritualia & characteres non possunt cadere sub sensum, sed cadunt; ergò. Probatur: Quia cadunt sub intellectum; sed intellectus est sensus; ergò. Probatur mi. illud verè dicitur esse sensus cui competit sentire; sed intellectui competit sentire & opinari, unde dicitur solemus in sano vel pravo sensu, ut quilibet explicet suum sensum, id est iudicium; ergò; Et si sic accipitur ly sensibus in definitione. Augustini verè competit cuilibet signo, prout etiam sentit Doctor 4. d. 6. q. 10. n. 5. nec in ullo est inconvenientia, & sanè si hanc definitionem proposuisset Aristoteles, credo quòd crepantibus buccis ab omnibus proponeretur & defenderetur, ut patet in pluribus aliis, ubi per fas & nefas, si non in re, verba circumulant, ut vel leve aliquid dictum Aristotelis tueantur, & eidem apparentiam faciant. Confirmatur ex D. Bernardo, qui Serm. 10. & alibi frequentè intellectum sensum vocat, ergò.

Dices: Quamvis per sensum possit intellectus intelligi, aliquando non posse tamen hic, quia faceret sensum, quòd signum sit illud, quod præter speciem quam ingerit intellectui, aliud facit incognitionem venire, nam tunc eidem ingereret, & eundem faceret venire in cognitionem. R. quòd sensus erit disjunctivus, ita quòd tam huic quam illi & tertio sensui aliquam ingerat speciem, & si sit spiritualis, quòd etiam eundem faciet in cognitionem venire, non tamen secundum idem sed secundum aliud puta secundum species impressas, quas Adversarii dicunt esse signa formalia, nec est inconveniens etiam, quòd idem seipsum representet sibi ipsi cognoscendum, prout evenit in cognitionibus reflexis, & etiam in aliquibus signis instrumentalibus, nam ly *verbum Nomen, &c.* non modò alias voces, verba, nomina, &c. representant sed etiam seipsa. Sed ut hæc Doctrina magis confirmetur & solidius stabilietur, Nego pro isto statu alia esse signa quam instrumentalia, quo probato definitio omninò rejici non poterit, adeòq;

Dico 2. Nec species impressæ, nec species expressæ sunt signa proprie dicta. Hæc solummodò patrocinium habet à Barone, & Probatur de speciebus impressis: Quia secundum communem sententiam objectum non est signum; ergò nec species impressa; probatur consequentia: quidquid impedit objectum esse signum, impedit etiam speciem impressam; sed objectum ex concessis non potest; ergò nec species: probatur ma. quia species impressa supplet vices objecti ergò. Confirmatur habitus, qui se tenet ex parte potentia ad producendam cognitionem, non habet rationem signi; ergò nec species quæ se tenet ex parte objecti. Proba.

Probatur etiam de speciebus expressis: Omne signum debet esse medium ad cognitionem, sed species expressa non est medium ad cognitionem; ergo species expressa non est signum; probatur mi. quia species est ipsa cognitio; ergo non est medium, dices: cognitionem esse posse medium ad aliam cognitionem; ergo potest esse signum; probatur ant. quia potest Astrologus cognoscere solem, cuius cognitionem cognoscens Angelus deveniret in cognitionem solis; ergo species expressa potest esse medium cognitionis. R. dist. ant. cognitio esse potest medium ad aliam cognitionem, in eodem intellectu; nego ant. in diverso concedo ant. & nego consequentiam; vel si tibi hoc displicet R. 2. potest esse medium ad cognitionem dicitur, nego ant. reflexe transeat ant. & nego consequentiam; dico notanter transeat, quia etiam quando reflexe cognoscitur, non videtur habere rationem signi, sed potius obiecti, nisi forte quis per cognitionem reflexam vellet ipsum obiectum cognoscere. Verumtamen contra Primam Conclusionem sic Ex Barone

V. Arguitur: Præmissæ faciunt in cognitionem venire conclusionem, sicut & alii effectus in cognitionem suæ causæ, ut est Eclipsis lunæ in cognitionem terræ oppositæ, inter solem & lunam, risibilitas in cognitionem hominis; sed tam præmissæ quam Eclipsis, aut risibilitas sunt signa huiusmodi cognitorum; ergo non obstant prioribus explicatione & exclusionem specierum impressarum à ratione signi malè adhuc definitur. R. dist. ma. movent, vel faciunt venire in cognitionem discursivam, concedo ma. in cognitionem apprehensivam, & concessa mi. nego consequentiam; signum autem non debet me deducere in quantumque cognitionem, sed in eam, quæ sequitur ex cognito signo velati medio. Nihilominus

Instatur: Cognitio discursiva maxime est cognitio; ergo si signum debet facere venire in cognitionem, faciet venire in discursum etiam; ergo in priori solutione malè excluditur. R. negando consequentiam, quia licet discursus sit potissima species cognitionis, signum tamen abstrahit ab illâ ex eo quod apprehendatur etiam in pluribus signa, in quibus non reperitur discursus, ut patet in Angelis, qui sibi per signa loquuntur, & in probabili sententiâ non discurrunt, imò manendo inferioris, animantia discursus & rationis incapacia sunt, apud ea tamen vigent signa, constat etiam experientiâ, quod feles & etiam canes ad pullum campanæ compareant in Refectoriis Regularium & plura alia.

Urgetur: Signa plura imò omnia faciunt venire in cognitionem per discursum; ergo non præcinditur ab eo. Probatur ant. Quia iste est verus discursus diversus: si quis videret hederam ante fores pendentem & diceret: hic hederam est; ergo vinum vendibile; fumus est; ergo ignis, vel calor latens &c. ergo R. negando ant. ad cuius probationem dico: in istis & similibus casibus non esse verum discursum, sed tantum simplicem illationem, quæ æquivaleret cuiuscumque propositioni convertibilis.

F. Amandi Hermann Logica.

Replicatur. Dantur signa etiam inspectu propriè dictorum iudiciorum & discursuum; ergo: probatur ant. quia possumus proposito signo recordari propositionum & discursuum; ergo. R. negando ant. cuius probationem distingo, in quantum habent rationem iudiciorum & discursuum, nego; in quantum simpliciter apprehenduntur, concedo ant. & nego consequentiam. Itaque quando proposito aliquo signo recordamur, & devinimus in cognitionem alicujus discursus olim habiti, tunc ille discursus apprehenditur simpliciter, non verò consideratur veluti formalis discursus.

Quantum ad alteram partem questionis, in quonam videlicet, ratio consistat signi, non exigua est controversia, nam ut ex D. Bonaventura colligitur 4. d. 1. q. 2. in quolibet signo duo interveniunt respectus & relationes, una ad rem, quam significat, altera ad potentiam cognoscentem & percipientem, verbi gratiâ, ad intellectum, vel alium sensum, cui rem significatam representat, unde si fumus non respiceret latentem ignem, quem prodit, & aptus esset hoc potentiâ representare, nunquam haberet rationem signi. In quâ materiâ resolvenda Connimbricenses dicunt utrumque respectum esse de ratione formali signi. Econtra verò D. Thomas, Scotus, D. Bonaventura constituunt eius rationem formalem in respectu ad signatum, & ad potentiam esse veluti, verbi gratiâ, passionem, aut aliquam proprietatem, cum quâ etiam

VI.

In quolibet signo duo interveniunt respectus.

Dico 3. Si nulla ex relationibus illis duabus est signo essentialis erit illa ad rem significatam. Ita secunda sententia. Et Probatur Autoritate cum S. Augustini, qui expressè docet signum significare rem, seu dicere respectum ad rem, nam supra Gen. 12. supra dicit: Cum loquimur signa utiq; verum damur. Item Magistri sententiarum 4. d. 1. qui definit sacramenta ex eodem S. Aug. 10. de Civit. cap. 5. Signum rei sacre. Et Scoti 4. d. 1. q. un. ubi ait: relationem signi esse simplicem, ubi intelligit eam, quæ est ad signatum, ut ex antecedentibus patet.

VII.

Ratio signi consistit in relatione ad rem.

Probatur Conclusio etiam

Ratione: Illud quod est in aliquo prius, quam aliquid aliud, potius statuendum est pro essentiali, quam illud posterius; sed prius convenit signo relatio ad signatum, quam relatio ad potentiam; ergo si ulla relatio ex istis duabus sit essentialis, illa erit relatio ad signatum; ma. est certa: minor etiam, ergo consequentia est evidens, quæ ulterius probatur: quando habetur relatio representationis alterius, à se habetur ratio formalis signi; sed hæc habetur in proposito per ordinem ad signatum, ergo. Probatur ma. quia ad relationem sufficit ratio fundandi & terminandi cum externis coexistentibus; sed hæc omnia habentur, ut patet ante relationem ad potentiam; ergo habetur ratio formalis signi. Probatur etiam minor adhuc, quia posset Deus instituere hederam, quod esset signum belli, vel pacis, absque eo quod aliqua potentia id cognosceret, sed tunc veram rationem signi haberet, ergo; Quare respectus ad potentiam ad summum erit propria passio, idque secundum aptitudinem, quam habet ad deducendum ali-

L1

quam

quam potentiam in cognitionem alterius; dixi ad summum secundum habitudinem, quia actualis deductio est merum accidens, nam sopitis omnibus potentis & sensibus naturaliter fumus significat ignem. Sed pro Connubricensibus.

VIII.  
Non omnia  
que ponuntur  
in defini-  
tione sunt de  
essentiâ defi-  
niti.

**Arguitur:** Illa que ponuntur in definitione, sunt de essentiâ definiti, sed uterq; respectus ponitur in definitione; ergo uterq; erit de essentiâ. R. negando ma. nam non omnia, que essentialia sunt tantum in definitione exprimentur, sed etiam nonnunquam & sat frequentè ea, que sunt propria propter majorem claritatem & meliorem intelligentiam.

**Instatur:** Illa debent censei poni essentialiter in definitione, quorum unum sine altero intelligi nequit, sed unus respectus sine altero intelligi nequit; ergo directè uterq; ponitur in definitione. Probatur mi. unus sine altero referri nequit; ergo nec unus sine altero intelligi nequit. R. negando mi. cum suâ probatione, & ratio patet ex dictis. Deinde sequeretur, quòd signum esset ens per accidens, nimirum compositum ex duabus relationibus diversæ speciei, que non habent se per modum actûs & potentia; quia certum est, signum & signatum esse correlativè opposita; ergo fundamentum adæquatum correlationis, que vocatur significatio passiva, est res significata, sicut & significationis activæ fundamentum adæquatum est ipsum signum, oppositorum enim eadem est ratio. Sed

**Urgetur.** Dantur multæ aliæ relationes, que essentialiter diversa respiciunt; ergo etiam signum poterit essentialiter diversa respicere, scilicet signatum & ipsam potentiam; probatur aut, quia relatio generis essentialiter respicit diversas species, spiratio passiva respicit Patrem & Filium, veluti duos spirantes; ergo. R. negando consequentiam: Quia non ex eo quòd aliqua relatio possit plures respicere terminos, dicitur præcisè signi rationem formalem esse respectum ad signatum. sed quia per hunc respectum completur inesse signi adeoq; superflue additur alter respectus ad potentiam, tanquam esset essentialis.

## QUÆSTIO II.

*Quotuplex sit signum?*

I.  
Signum pri-  
mo multipli-  
citer dividitur.

SCOTUS 4. d. 1. q. 2. D. Thomas 4. d. 1. q. 1. a. 1. Ricardus & Theologi communiter signum primò dividunt in *Rememorativum, Demonstrativum & Prognosticum*. Item in *Practicum & Speculativum*. Signa *rememorativa* appellant ea, que aliqua præterita in memoriam revocant, hujusmodi est, quod Deus statuit in iride Genesis 6. ubi dicit: *Ponam arcum in nubibus cæli & recordabor fæderis mei*: Signa *demonstrativa* ea sunt, que præsentia demonstrant, ut fumus ignem, gemitus dolorem: *Prognostica* verò sunt, que futura & ventura denuntiant, ut visio Iridis denuntiat nobis nunquam futurum Catalysmum, & venturam pluviam, & talia sunt etiam varii colores, tum in lunatum in sole. Juxta illud Poëtæ: *Ceruleæ plu-*

*vias denuntiat igneus Euros, & alterum Pallida luvina pluit, rubicunda fluat, alba serenat.* Signa *Practica* ea dicuntur, que non modò aliquid significant, sed etiam illud quod signant, efficiunt, & talia sunt Sacramenta, que sunt invisibilis gratiæ visibilia signa, eamq; efficiunt & causant, an Physicè vel moralitèr? non est hujus fori; *Signa Speculativa* sunt, que signatum suum non efficiunt sed tantum ad ejus cognitionem ducunt, imò & plura alia adferri solent, verumtamen quia vel ad propositum non spectant, vel ad ea de quibus hic agam reducuntur, ideò enumerationem eorum omitto. Quantum pertinet ergo ad præsens institutum, aliqui signum ut sic dividunt in *formale & instrumentale*; *formale* vocant *rationem cognoscendi non cognitam*, & sunt species tam expressæ quam impressæ; *Signum instrumentale* appellant *rationem cognoscendi cognitam*, id est, que prius cognita, postea ducit in cognitionem alterius, sed quia in questione præcedenti exclusi signa formalia à ratione signorum, nihil amplius de iis agendum restat. Signum itaq; propriè & primò dividitur in *naturale & adplacitum*, seu ut D. Augustinus loquitur lib. 2. Doct. Christi. cap. 1. *Signorum alia sunt naturalia, alia data*: *Naturalia* sunt, que sine voluntate atq; ullo appetitu significandi præter se aliquid aliud ex se cognosci faciunt, sicut est fumus significans ignem, non enim volens significare id facit sed rerum expertarum animadversione & notatione cognoscitur, ignem subesse, etiam si fumus solus appareat; sed & veltigium transeuntis animantis ad hoc genus pertinet, & vultus irati, seu tristis affectionem animi significat, etiam nullà ejus voluntate: id est absq; aliqua institutione & cap. 2. ait: *Data verò sunt, que sibi quæque viventia invicem dant ad demonstrandos, quantum possunt motu animi sui vel sensa aut intellecta qualibet*: Nec ulla causa est nobis significandi, id est, signum dandi, nisi ad depromendum & trajiciendum in alterius animum, id quod in animo gerit is, qui signum dat. Brevitèr, *signum naturale independentèr ab institutione, & adplacitum dependentèr significat*. De hac ergo divisione queritur, primò, an bona sit & adæquata? secundò, an Relatio signi ad suum signatum sit realis, vel rationis? non queritur autem de relatione signi adplacitum, quia de hac communiter sentiunt, quòd sit denominatio extrinseca, aut si est relatio, quòd ea vel erit rationis vel aliqua moralis. Quantum ad primum; duplex est sententia, Affirmativa una, altera negativa; negativa putat, quòd dentur aliqua signa, que nec sunt naturalia, nec ex institutione, & tale vocant signum ex consuetudine, quale dicunt esse illud, quod canis domum rediens significet adventum Domini, &c. Attramen contra hanc sententiam

**DICO I.** *Divisio signi in naturale & adplacitum est adæquata*. Hæc est communior Scottistarum & in Scholis & Probatur, tum auctoritate D. Augustini sic dividitis, tum ratione. Quia omne signum vel ex institutione hominum, vel est independentèr ab institutione hominum; si est ex institutione hominum, est adplacitum; si autem est independentèr à tali institutione, erit naturale; ergo adæquate dividit.

dividetur signum in naturale & adplacitum: Major patet, quia non est assignabile aliud aliud signum, ergo. Probatur aut. si esset aliud aliud, maxime esset illud, quod Adversarii vocant signum ex consuetudine, sed tale est signum naturale, ergo ma. est authorum. Probatur mi. quia adventus canis ante adventum Domini, vel pulsus quo auditus canis, aut felis ad mensam accurrere solet, est naturale, quia est independentè ab hominum institutione; ergo naturale, parum enim est aliquid sit signum intrinsicè alteri connexum & adnexum, an verò extrinsecè ad hoc, ut sit signum naturale, nam omnia signa naturalia dico dummodo non dependeant ab institutione.

specu naturæ humanæ est signum fundamentalitè; relatio verò per quam significatur Sacramentum & natura humana dicitur, signum formalitè: hoc prænotato ad dubium resolutivè

**Dico 2.** *signum naturale ut sic formalitè sumptum, non semper consistit in relatione reali, ali-quando tamen sic consistit.* Probatur 1. p. Essentia divina est signum naturale respectu omnium possibilium & contingentium, sed essentia divina non dicit relationem realem ad creaturas, ergo. Confirmatur: Iris est signum naturale futuræ pluviae; sed iris non dicit realem relationem ad pluviam; ergo. Probatur: quia ex Scoto, ut sit relatio realis, requiritur, ut etiam ejus terminus sit existens, sed tunc non est terminus existens, quia denuntiat primò venturam pluviam. Probatur etiam secunda pars: Quia fumus respectu ignis existentis habet omnes conditiones requisitas ad relationem realem, itè bruti cognoscunt multa median-tibus nonnullis signis & speciebus inpressis, sed bruti nihil cognoscunt per relationem rationis, quia institutionem non apprehendunt; ergo per signa naturalia realia, quod est intenu-m.

V.  
Signum natu-  
rale non  
semper con-  
sistit in rela-  
tione reali.

III.  
Dices: Iris est signum nunquam de in-  
ceps futuri Catachlysmi 9. Gen. sed illud nec  
est naturale, nec est adplacitum; ergo non est  
adequata divisio in signum naturale seu natum  
& datum. Probatur mi. quòd non significet  
ex institutione, quia tale definitur, quòd sit  
significans ex voluntate hominum, sed hoc non  
significat ex voluntate hominum, nec naturale,  
quia quòd est naturale, semper idem debet sig-  
nificare; sed iris ante diluvium non significabat  
idem, ergo. R. concessa ma. negando mi. pro  
secundà parte, scilicet quòd non sit adplaci-  
tum, unde ad probationem dico, quòd quando  
signum adplacitum describitur, quòd sit illud,  
quòd significat ex hominum institutione quòd-  
que illi instituerunt, non verò universalitè,  
quali non posset etiam Deus instituere signa ad-  
placitum. Ad secundam probationem dico,  
quòd idem manens idem sine ullà variatione,  
non quidem possit aliud significare, si tamen  
variari intrinsicè potest per aliquam deno-  
minationem extrinsecam, sicut contingit in iri-  
de, quæ sub alio & alio respectu aliud & aliud  
significat, ex institutione fœdus inter Deum &  
genus humanum, ex naturà venturam pluviam.

Instabis, illud signum, quod habuit  
Cain, Genes. quarto, ex institutione vel natu-  
rale fuit, sed hoc nec potest dici fuisse ex insti-  
tuto nec naturale. Probatur mi. non ex insti-  
tuto & adplacitum, quia alioquin nullus ag-  
novisset ipsum signum, nisi à Deo fuisset reve-  
latum, de quà revelatione non constat, nec po-  
test dici naturale, quia sic quilibet homo habe-  
ret illud, quod est figmentum, ergo R. Etiam  
illud signum fuisse adplacitum seu ex insti-  
tutione, quale autem fuerit, controvertitur nec  
in scripturà aliquid determinatè statuitur, &  
Judæi de hoc plurima fabulantur inania, quare  
puto hoc signum fuisse gemitum & crebra ejus  
suspiria, ut testatur D. Hieronymus epist. 115.  
Nam ubi in vulgari editione legitur: *Ero profu-  
ga & vagus*, Septuaginta habent: *Ero gemens &  
suspirans*, unde ex illo gemitu & suspiris homi-  
nes commovebantur, ne illud occiderent, qua-  
re in formà responderi potest sicut supra.

IV.  
Quoad alterum dubium resolvendum  
prænotandum est, quòd signum sit nomen  
concretum, cujus forma est semper relatio sig-  
nificationis ad suum signatum; subjectum au-  
tè est illud in quo fundatur talis relatio, &  
vocatur signum fundamentalitè, sicut signi-  
ficant Sacramenta gratiam, & vox homo re-

**Dices:** Falsum esse, quòd ad terminum  
non existentem non detur relatio realis, ergo  
fundamentum conclusionis ruit. Probatur  
aut. quia aptitudo in me ad ridendum est rela-  
tio realis, sed hæc refertur ad terminum non  
existentem, verbi gratià, ad actum ridendi; er-  
gò falsum est dicere: relationem realem neces-  
sariò prærequirere terminum existentem. R.  
Illam relationem aptitudinis esse realitè ean-  
dem cum illo, cujus est aptitudo, adeoq; esse  
realem ex parte fundamenti, esse tamen rela-  
tionem rationis ex parte termini, neq; hoc ma-  
jorem patitur difficultatem, quàm quòd rela-  
tio dependentiæ creaturæ ad Deum, quæ juxta  
Scotum est eadem realitè cum fundamento, sit  
relatio rationis ex parte termini, scilicet ex  
parte Dei, qui nullam dicit relationem realem  
ad creaturam, & sic intelligenda est conclusio,  
quòd quantum est ex parte rei significatæ seu  
termini significationis activæ, quæ est in signo  
naturali relatio significationis passivæ sit tan-  
tum rationis, licet ex parte ipsius signi natu-  
ralis sit relatio realis aptitudinalis significatio-  
nis. Sed pro Complemento

VI.

**Quæres:** An Causa possit esse signum  
respectu sui effectus? R. Plures esse causas, quæ  
sunt etiam signa suorum effectuum, non tamen  
omnes. Probatur quoad primam partem:  
Quia nubes gravida est signum futuræ pluviae,  
& tamen etiam est ejus causa, si non efficiens  
saltè materialis; Cometæ sunt signa effe-  
ctuum extraordinariorum & tamen etiam sunt  
eorum causæ; Item Sacramenta gratiam & sig-  
nificant & causant, quod verò non omnes pa-  
tet: quia materia & forma sunt causa compo-  
siti, & tamen non sunt signum, alioquin esset  
quid relativum, item Pater est causa Filii & ta-  
men non dicitur ejus signum; Et Demiq; Deus  
Optimus maximus est Causa prima omnium  
rerum creaturarum, & tamen non dicitur esse ea-  
rum signum.

VII.  
Non omnes  
causæ sunt  
signa effe-  
ctuum.

## QUÆSTIO III.

Quid significant voces, an res vel conceptus, an verò utrumq?

I.

Per rem intelligitur hic obiectum.

Voces esse signa eaq; ex institutione

seu ad placitum ut docet D. Aug. lib. 6. Mus. cap. 9. dicens: De vocabulis nihil sat agas, res in potestate est, beneplacito enim non natura imponuntur, quibus representamus nobis invicem, quid in mente cujuslibet lateat? non est dubium; unde hic in quaestionem vocatur, an quando aliquis vocem aliquam vel plures profert, an tunc voces illæ significant res? an verò conceptum loquentis seu cujuslibet intellectionem & actualem cognitionem? Pro cuius rei faciliori perceptione Notandum primò, per rem impræsentiarum aliud non intelligi, quàm ipsum obiectum; per conceptum verò cognitionem, seu ipsum mentis partem; nec est sermo de vocibus non significantibus, sed significantibus, & hoc non de vocibus institutis ad significantes solos conceptus, ut sunt vox *conceptus*, *cognitio*, *intellectio*. Notandum secundo, Vocem ordinariè describi, quòd sit sonus articulatus ab ore animalis procedens, naturalibus instrumentis formatus. Dicitur sonus, per quam particulam convenit cum aliis sonis quarumcunq; rerum inanimatarum, ut est sonus tubæ, tympani, & aliorum instrumentorum, &c. alia autem ponuntur loco differentia; dicitur articulatus, per quam distinguitur vox à gemitibus & suspiriis, & aliis sonis, quæ frequentèr retrorsum fiunt; dicitur ab ore animalis, per quod excluduntur omnes soni ab instrumentis musicalibus formati; additur deniq; naturalibus instrumentis, quæ instrumenta octo recensentur & comprehenduntur hoc disticho:

*Instrumenta novem sunt guttur, lingua, palatum,*

*Et quatuor dentes, & duo labra simul.*

Aliqui ad definitionem vocis datam addunt adhuc aliam aliquam particulam, videlicet cum imaginationis significatione, unde excludunt voces picæ, ptytaci, &c. aliarum avium, quæ voces humanas solent addiscere; Verùm tamen mihi non videtur hoc necessarium, quia etiam homines frequentèr voces proferunt sine aliqua imaginationis significatione, ut patet in dormientibus, amentibus, imò etiam ipsi vigiles, quia certum est, quòd obligati ad brevium recitandum & psallendum teneantur voces proferre, sed quotusquisq; est, qui non frequentèr magnam brevium partem orando decurrit absq; eo, quòd habeat aliquam imaginationis significationem, quod adhuc clarius liquet in iis, qui cantant, qui frequentèr cantantes ob distractionem nihil sibi imaginantur. Deinde certum est, ut etiam dicam infra, quòd audiens perfectius posset percipere voces, quàm eas proferens, ut contingit iis, qui ignari linguæ, verbi gratia, Hibernicæ verbum aliquod proferunt, quod Hibernicè perfectissimè intelliget, cum tamen proferens non habeat aliquam imaginationis significationem. Quiddid tamen sit de hoc hic quaestio procedit, de iis vocibus, quæ proferuntur verè ad aliquid significandū. Circa quam materiam triplex est sententia; Prima est Boë-

thii, Ammonii, Alexandri, Averoës &c. qui dicunt: voces solos significant conceptus. Secunda huic è diametro opposita, dicit: quòd voces solas significant res, quam sententiam Connimbricenses etiam attribuunt Scoto, sed perperam, nam in 1. d. 27. q. 3. n. 19. ex quo loco ipsum citant, totus est problematicus usq; ad finem quaestionis, ubi dicit: *Primam opinionem secundum auctoritatem esse probabiliorē; secundam verò probabiliorē esse secundum rationem.* Tertia sententia est Recentiorum, communiter assentientium: voces primariò, principalitèr & directè ac immediatè significant res, mediatè verò & minus principalitèr conceptus loquentis. Ita Ockhamus, Gabriel, & Nominales communiter, ac Scotistæ, ut Pontius, Cavellus, Baro &c. Cum quæ sententia etiam tenendo Contra primam.

DICO I. Voces non significant solos conceptus. Est conformis ad secundam & tertiam sententiam.

Probatur Conclusio primò

authoritate S. Augustini libro de Magistratu cap. 14. ubi hæc habet: *Num hoc Magistri profitentur? ut cogitata eorum ac non ipse discipline, quas loquendo se tradere putant, percipiuntur atq; teneantur? nam quis tam stulte curiosus est, qui filium suum mittat in Scholam, ut quid Magister cogitet, discat?*

Probatur secundo authoritate Ari-

stotelis 1. Elenchorum cap. 1. ubi ait: *quæres ad Scholas adducere non possumus inter disputandum, idè nominibus (seu vocibus) pro rebus uti.*

Probatur tertio ratione, primò:

Si voces significantes solos conceptus, sequeretur omnes propositiones de secundo adjacente esse veras, & omnes de tertio adjacente esse falsas, sed hoc asserere est inconvenientissimum, ergò. Probatur sequela ma. Quia istæ propositiones essent veræ, *Antichristus est*, *Chymia est* & sexcentæ alia, quia earum sensus esset: quòd conceptus AntiChristi & conceptus chymicæ sint, quod est verum, quia tales conceptus de AntiChristo habemus; ergò omnes propositiones de secundo adjacente essent veræ. Probatur etiam sequela quoad alteram partem: Quia hæc propositio, *homo est animal*, esset falsa, quia hunc sensum constitueret: quòd intellectio hominis esset intellectio animalis. Secundo: si voces solos conceptus significarent, sequerentur multa inconvenientia contra rationem & justitiam, sed hæc sunt quàm maximè cavenda, ergò. Probatur sequela, quia ubicunq; committuntur peccata mendacii & furti, admittuntur inconvenientia contra rationem & justitiam, sed hoc fieret, ergò. Probarur mi. Sit Casus, quòd Titius accedat Mævium, ab eoq; petat ut sibi vendat bonum & dominium aliquod, verbi gratia, pro centum millibus, assentit Mævius postulatis Titii, qui eidem statim enumerat dictam & promissam pecuniam, quam Mævius suscipit, altera tamen die venienti Titio & traditionem dominii postulanti recusat, allegans se tantum Titio vendidisse, quod significabant hæc voces: *Domine Titie ego vendo vobis dominium pro centum millibus*; quia hæc voces non significant rem vel bonum, sed tantum conceptum, quem promissis

describitur vox.

IV

XIV

promisit se daturum Titio pro centum millibus; conceptum autem dare non potest, quia nullum accidens naturaliter de subiecto in subiectum transit; ergo nihil dare tenetur, quod probatur: quia nihil promisit nisi conceptum; ergo si illum non potest, nihil praestare tenetur, & si casus iste contigisset Boethio revera frivolam excusationem rejecisset & se a tali noxa persequentiam Judicis liberasset. Idem argumentum formari potest de aliis casibus puta Matrimonii, sponsalium &c.

partem distinguo, lapis non est in intellectu secundum esse reale, concedo mi. res seu lapis non est in intellectu secundum esse intentionale & cognitum, nego mi. & consequentiam, quia non tantum species lapidis est in intellectu, sed etiam ipse lapis non quidem ut accidens in subiecto, sed ut cognitum in cognofcente.

**Urgetur.** Lapis non est in intellectu nisi mediante specie; ergo tantum etiam intelligitur mediante specie, & consequenter ad minus habebimus, quod si voces significant res, quod eas non significant immediate; probatur consequentia ex illo vulgato, *propter quod unum quodque est tale, est illud magis tale*; sed res est per speciem in intellectu; ergo illa magis erit ibi, & consequenter immediatius intelligitur. R. negando consequentiam, ad cuius probationem dico, quod illud axioma non fit universaliter verum, sed tantum vel de causa efficiente aliquando ut est, verbi gratia, si quis dicat, propter corpus vestes sunt calidae; ergo ipsum corpus est magis calidum; propter ignem est calidum refectorium; ergo ipse erit magis calidus, vel de causa finali respectu medicorum, quae non habent tantam amabilitatem, quantum finis, unde species non debent dici magis vel primo intelligi, quia non habent rationem causae finalis, sed efficientis & tantum intentionalis, quae semper est minor quam Physica. Et universaliter loquendo, quidquid alias contra Conclusionem afferri potest, non probat voces solos significant conceptus, sed conceptus, quod non nego, imò

**Dico 2.** Voces significant conceptus & res simul, principaliter tamen & immediate res, minus principaliter conceptus. Haec est tertiae sententiae, & habet tres partes, prima dicit quod significant conceptus, secunda quod res simul, tertia quod res principaliter.

**Probatur Conclusio quoad** Primam partem, quod significant conceptus, tum ex Autoritate Aristotelis supra adducta, ubi ait: *voces esse passionum notas*, id est, conceptuum, tum D. Augustini 17. de Trinit. cap. 11. ubi ait: *Verbum, quod sonat, signum est verbi, quod intus latet*, sed verbum quod intus latet, est cognitio & conceptus, quem vocat S. Doctor saepe verbum, ut patet ex illo 1. Trinit. cap. 10. sic dicente: *Formata cogitatio de re quam sumus, Verbum est.* Et lib. 3. Consens. Evang. cap. 2. *Propter sententiam verba proferuntur & cap. 4. In quorum diversitate verborum salubriter dicimus, non aliud in verbis ad audiendam veritatem, quam sententiam loquentium esse requirendam.* Adde etiam auctoritatem D. Basilii humil. in cap. 1. Joan. ubi inquit: *Verbum nostrum totius nostrae cognitionis imaginem refert, quod enim secundum cor novimus, hoc verbo proferimus.*

**Probatur hoc ipsum etiam** ratione; Quia ex sermone vocali docti hominis evidenter colligimus, ipsum habere de materia proposita subtiles & arduos conceptus, eò quod pulchre discurrat, & hoc praecise colligimus ex vocibus, quibus ille conceptus suos manifestat; ergo voces significant conceptus; probatur consequentia, quia auditis vocibus & non ante

L 1 3 de ve.

**III. Dices:** Voces duobus significant modis conceptus, primo modo in quantum conceptus talia entia sunt, nempe qualitates; secundo modo in quantum signa sunt; voces autem significant conceptus in posteriori acceptione, non vero in priori, adeoque illa inconvenientia non sequuntur. Sed Contra primo: Species impressae & expressae non sunt signa; ergo non possunt dici, quod conceptus significantur per voces veluti signa. Contra secundo: Ergo male asseritur in sententia Boethii, quod voces significant solos conceptus. quia si significant conceptus, ut signa significant etiam eorum signata. Contra tertio, quod si forte (dico notanter forte, quia etiam deduci potest, quod eadem absurda sequantur) illa absurda in probationibus allegata non assequantur, sequi tamen alia, nempe quod voces nihil significant, nisi meras relationes, & mera relativa; quod etiam absurdum est, & sic voces essent tantum signa signorum, quia si conceptus signa sunt, & voces etiam sunt signa, erunt signa signorum & consequenter nihil significant nisi solas relationes.

**IV. Opponitur Contra Conclusionem** directae Auctoritatis Aristotelis 1. Perihet. 1. ubi sic habet: *sunt ergo quae sunt in voce earum, quae sunt in anima passionum notas*, ubi per notas signa, per passionem conceptus indicat, ergo voces ex mente Aristotelis significant solos conceptus. R. 1. distinguendo & explicando auctoritatem, sunt earum quae in anima sunt, passionum seu conceptuum formalium notae; nego auctoritatem & ant. conceptuum objectivorum, concedo ant. & nego consequentiam, etsi Boethius etiam nihil aliud vellet, quam Aristoteles eodem modo sic explicari posset; quod si quis tamen vellet pretendere etiam Aristotelem, ibi intelligere conceptus formales & non objectivos, tunc R. secundo sunt passionum seu conceptuum formalium notae tantummodo nego, etiam concedo; vel aliter: sunt conceptuum notae arguitivae & concomitantem concedo ant. per se & immediate nego ant. & consequentiam. Sed

**Instatur.** Illud per se & immediate ac tantum significatur per voces, quod per se immediate ac tantum intelligitur, sed hoc est conceptus seu species intelligibilis; ergo species intelligibilis seu conceptus primo & per se significatur; probatur mi. per se immediate intelligibile est in intellectu, sed species intelligibilis est in intellectu & non ipsa res, ergo. Probatur mi. ex Aristotele 3. de anima ubi ait: *Lapis non est in intellectu, sed species lapidis.* R. negando mi. cuius probationis minorem quoad alteram

V. Voces significant res principaliter.

III

devenimus in cognitionem subtilium conceptuum hominis subtiliter loquentis.

VI.

**Probatur Conclusio, quoad alteram partem primò**, ex scripturâ Genesis 2. ubi legitur, quod Deus adduxerit omnia animantia terræ & volatilia cœli ad Adam, ut eis nomina imponeret, ubi postea subditur: *Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia*; ex quo sic argumentor: Illud significant voces & nomina, ad quod significantia sunt instituta; sed sunt instituta ad significantia animantia res utique; ergo voces significant res. Item Joan. 1. ait Christus ad Petrum: *Vocaberis Cephas*; ubi non dicit, quod conceptus Petri debeat vocari *Cephas*, sed ipse Petrus.

**Probatur secundo** autoritate D.

Augustini, tum supra, tum cap. 5. in Epistolâ 2. ad Corinth. *Non opinor putandum esse tres istas litteras, quas enuntiamus, cum dicimus EST, fuisse in Christo, sed illud potius, quod istis tribus litteris significatur.*

**Probatur tertio** autoritate Aristotelis lib. 1. Periher. cap. 8. ubi ait: *Ex eo quod res est vel non est, oratio vera est vel falsa; non potest autem dici orationem esse veram vel falsam ex eo, quod res est vel non est, nisi rem significet.*

**Probatur quarto** Ratione: Illud significant voces quod homines intelligunt dum proferuntur; sed homines intelligunt res; ergo eas significant. Confirmatur: Quia auditâ hâc voce, *lapis*, devenio in cognitionem rei, quæ vocatur *lapis*, & non in cognitionem conceptus, quem habet is, qui profert hanc vocem. Confirmatur secundo: Sequeretur quod Græcus audiens propositionem Græcam prolatam ab aliquo, qui ignoraret linguam Græcam, ipsam non intelligeret, quia non intelligeret conceptum loquentis & proferentis. Et quibus etiam sunt argumenta pro probandâ tertiâ parte Conclusionis, scilicet illud principaliter fertur auditâ voce, sed, &c. ergo; quod autem conceptus secundariò patet inde, quia postquam jam res cognovimus, tunc tandem devenimus etiam in cognitionem conceptuum, quos aliquis habet de propositâ materiâ, ut dixi supra. Sed hæc ipsa argumenta assumunt etiam adversarii, pro probando suo intento. Unde

VII.

**Arguitur.** Primò probando per voces principaliter significari conceptus. Illud voces principaliter significant ad quod sunt principaliter institutæ; sed voces sunt institutæ ad significantos principaliter conceptus; ergo probatur minor, quia idè instituerunt homines voces ut declararent mediantibus illis, quid quisque in mente habeat & sentiat; ergo Probatur ant. tum ex autoritate D. Augustini lib. de fide & Symbolo cap. 3. ubi sic loquitur: *Verbis nobis id agimus, cum verum loquimur, ut noscer animu innotescat audienti, & quidquid secreti in corde gerimus, per huiusmodi signa ad alterius cognitionem proferatur: tum à sensu contrario, quia idè angeli non instituerunt voces ex eo, quod suos conceptus sine illis manifestare possint; ergo idè homines instituerunt voces, ut suos conceptus significant aliis. R. transendo ma. & distinguendo mi. sunt institutæ ad signifi-*

candos conceptus immediatè, nego mi. mediatè, concedo mi. & nego consequentiam, similiter distinguo probationem ejus ac utriusque probationis consequens, nec enim aliud vult S. Augustinus, quam quod voces deserviant ad significantos conceptus, quod verum est, licet id non immediatè præstent.

**Instatur:** Nutus immediatè significant conceptus, assensum scilicet, & dissensum, sed nutus supplent vices verborum; ergo si nutus conceptus significant, significabunt etiam verba. R. negando ma. quia surdi & muti etiam nutibus significant res & non conceptus; ut patet in Zacharia Lucæ 2. qui postulavit pugillarem, *postulans pugillarem*, ait Sacra Scriptura: tunc non postulavit suum conceptum, quem utique habuit antequàm postularet, ergo nutus postulans pugillarem rem postulavit, & sic etiam nutus res significant. Sed

**Urgetur:** Ad minus regerit: Nequit Sanctus Augustinus sic simpliciter explicari, quia dicit notantè: *cum verum loquimur, ut noscer animu innotescat*, sed si tunc significat conceptum, mediatè, sequitur, quod, quando non loquimur verum, quod non significet conceptum mediatè, sed immediatè, ergo non erit verum, quod voces universaliter, significant res. Probatur sequela, quia aliàs nullum daretur mendacium, quod sic probatur: quia tunc mentimur, quando vocibus significamus conceptum in mente nos habere, quando non habemus; ergo si voces significarent in mentiente res, non mentiretur, quia verè significaret res. R. negando, quod S. Doctor non possit sic explicari, quia licet ibi dicat, quod, quando verum loquimur, denotemus nostrum conceptum, non sequitur in loquelâ mendacii, denotari conceptum immediatè, quia tunc planè nullo modo manifestatur, quare solùm vult Sanctus Pater, quod in verâ loquelâ etiam mentem & sentimentum nostrum aperiamus, non autem in mendaciâ, quia tunc tantum manifestantur sola verba sine conceptu, unde instantia est pro Conclusionem, quia in mendacio nullo modo significatur conceptus audienti, sed tantum nudæ res, ut si dicam: me Parisius fuisse, non declarabo meum conceptum, sed solummodo rem, quam significat ista verba & voces. Ad sequelam probationis nego sequelam, quia et si voces non significarent conceptus, adhuc daretur mendacium, ut si dicam ego inimico meo: *Remitto tibi injuriam*, sine voluntate internâ remittendi, tunc reverâ mentior, quia verba non sunt conformia voluntatis actui, sed tunc voluntatis actus correspondet vocibus tanquam res & non tanquam conceptus.

**Dices:** Saltem particulæ: *si, utrum, an,* non possunt denotare res immediatè, ergo voces non significant immediatè res. R. hæc & similes particulæ seorsim sumptas nihil significare, minus quod significant conceptus.

**Arguitur 2.** Probando, quod voces solummodò significant res, & nullo modo conceptus. Illud solùm significatur per subjectum, cui tantum competit prædicatum; sed prædicatum in hâc propositione: *homo ambulat*

tantum competit rei & non conceptui; ergo res solummodo significatur per illam propositionem. R. dist. ma. Illud solum significatur suppositivè, cui competit prædicatum, id est, pro illo tantum præsupponit subjectum; concedo ma. Illud solum significatur manifestativè, nego ma.

**Instatur.** Prædicatum semper competit subjecto in quantum intelligitur. R. esse verum de prædicatis rationis, quando scilicet subjectum est ens rationis, si verò intelligi velint adversarii de prædicato reali, tunc distinguo assumptum, reduplicativè, id est, in quantum intelligitur præcisè, nego; specificativè, seu quod intelligitur, concedo. Quia clarum est, quod paries sit albus, esto nullus intelligat ipsum esse album, aut de ipso prædicet albedinem. Sunt & aliæ multæ objectiones ac auctoritates Sanctorum Patrum tam pro, quam contra conclusionem, quæ, in quantum probare volunt, per voces significari conceptus, explicandæ sunt, quod tantum Sancti Patres velint eas conceptus significare secundariò & mediatè, quando autem erunt auctoritates dicentes significari res, intelligendæ sunt de significatione principali.

QUÆSTIO IV.

An voces significant naturaliter res & conceptus, an ex instituto?

**Supposui** hæcenus voces significare res ex institutione, seu esse signa ad placitum, sed puto me operam nequaquam perditurum, si id etiam ex professo examinavero; Pro quo præmittendum Arriagam disputatione 13. Logice Sect. 3. referre se quendam legisse libellum, (Autorem non nominat) in quo demonstratur tantam esse inter voces latinas & res sympathiam & convenientiam, ut naturaliter sine illa, vel Dei revelatione, vel Dæmonis arte posse aliquem, qui eam linguam ante profusè ignoraverat, ex sola & rectâ humorum organorumque dispositione eam linguam intelligere, quam rem miratur Arriaga, & ego cum illo, in eo maxime, quod ab origine mundi nullus homo tam bene disposita organa habuerit, ut eam linguam sine Magistro medio didicisset & locutus fuisset, ordo quod Adamus perfectissima habuerit organa, eaq; debitè disposita, attamen ut testatur D. Augustinus lib. 8. in Genesim ad lit. cap. 15. Deus inspiravit ei omnium institutionem vocum, & hoc videtur valdè rationi consentaneum, alioquin inter tam breve tempus omnium recordari non potuisset, & si Adamus hoc habuit ex debitâ organorum dispositione, non meliores invenit nominum convenientias ad res, quid enim Leo qui interpretatur suavis & brevis sympathiæ cum ferocitate & generositate. Imò quam sympathiam habet Lucus derivatus ad lucem, cum magis tenebrosus sit, sicut etiam bellum, & fœdus, nemo est, qui nesciat bellum rem bellam non esse, nec fœdus rem fœdam esse; ubi ergò convenientia & sympathia? existimo hunc Autorem pressum à copiâ & multitudine divitiarum, alioquin certè à tam inutilibus sumptibus abstinuisset. Communis sententia dicit voces significare res ex instituto,

an autem etiam significant sic conceptus, lis est inter Scotistas, negant aliqui, affirmant alii, cum quibus etiam tenendum existimo. Interim

**Dico I.** Voces significantæ articulatæ significant res ex benedictio & institutione hominum, & nullò modo naturaliter. Hæc est communis sententia si prædictum somniatorem excipias, &

II. Voces significant ex institutione.

**Probatur primò.** Autoritate Sacre Scripturæ Gen. 2. ubi legitur: Adam imposuisse nomina rebus, & quamvis ibi fortè omnibus non imposuerit continuis temporibus, omnibus imposta fuere.

**Probatur secundò.** Autoritate D. Augustini. lib. de catech. rudib. cap. 2. & ex locis supra citatis.

**Probatur tertio ratione:** Si voces naturaliter significant, surdi à nativitate loqui possent, sed hoc nemo dicet; ergò nec id ex quo sequitur; probatur sequela ma. Idèò surdi à nativitate possent edere fletus, gemitus, &c. quia ipsis ista à naturâ insunt; ergò si voces etiam ipsis à naturâ insunt, loqui poterunt. Sed in contra

**Arguitur.** Voces brutorum significant naturaliter; ergò & voces hominum. Probatur ant. quia mugitus, boatus &c. significant naturaliter, sed hæc sunt voces, ergò. R. negando consequentiam, quia natura & ejus Author Deus, in naturâ humanâ profusior fuit, unde eis non modò dedit voces inarticulatas, sed etiam articulatæ, articulatæ autem significant ex institutione & de his etiam est resolutio quæstionis, inarticulatæ autem æque in homine ac in bruto significant naturaliter.

III.

**Instatur.** Perfectius est significare naturaliter quàm ex institutione; ergò si bruta animantia naturaliter significantes voces edunt, poterunt etiam homines maxime cum non repugnet vocibus sic significare. R. I. Naturam humanam habere utrumque, ut & voces naturaliter significantes edere possit, in quo cum brutis convenit, ea verò excedit, quia etiam potest edere voces articulatæ. R. 2. significare naturaliter præcisè non arguere perfectiorem in signo, quod patet in adventu canis respectu adventus Domini, nullam enim perfectiorem arguit in cane, quod naturaliter significet adventum Domini, plus, quàm si significaret ex instituto.

**Urgetur.** Quod essentia divina sit signum naturale, maximam arguit perfectiorem; ergò si voces significantes res naturaliter, maxima esset perfectio; ergò sic dicendum est, maxime cum faveat auctoritas Aristotelis 1. Polit. cap. 2. ubi docet, sermonem esse homini naturalem; ergò. R. negando consequentiam, quia quod in Essentiâ divinâ arguat maximam perfectiorem, non arguit præcisè ex eo, quod sit signum naturale, sed quia naturale est continens formaliter, vel eminenter quidquid significat, idque ratione suâ infinitæ perfectiorem. Ad Aristotelem Respondeo, eum intelligendum per ly *naturale*, id est, ex naturâ proclivem ad loquelam propter societatem, sicut etiam dicit ibidem: *Civitates esse à naturâ*, id est

ex



**Probatur tertio.** Signa naturalia

apud omnes homines & rationes significant, sed voces non significant eosdem conceptus apud omnes homines & nationes; ergo non significant naturaliter conceptus, patet ma. de vestigio, fumo, imagine, probatur mi. tum ex Autoritate Sancti Augustini lib. de catechi. rudib. cap. 2. *Non omnes gentes intelligunt, dicit, cum quisque dicit: tratu sum, sed latini tantum; at si affectu exardescens animi exeat in faciem vul-tumq; faciat, omnes sentiunt, qui intuentur eum, tum quia haec vox su, latinis significat poreum, Hebraeis equum, Flandris silentium, ut notat Cornelius a lapide in cap. 11. Gen. Item vox Tam Germanis aggerem significat, Latinis adverbium est; & sic de pluribus aliis passim obviis; ergo non significant naturaliter.*

**Dices** Vox hebraea כרן fac idem apud omnes nationes significat scilicet saccum item vox קרן Keren idem ubiq; significat, scilicet cornu, ergo naturaliter hoc habent ut illud significant; Videatur ibidem citatus Cornelius. Sed R. quod, quamvis fac apud plerasq; nationes idem videatur significare, non est tamen ita, quia tantum secundum initiales literas in omnibus linguis convenit, postmodum tamen vel in definitia vel in scriptione vel pronuntiatione variat, nam Latini dicunt saccus, Itali sacco, sicut etiam Hispani, nec plus vel aliud dicitur a Lapide, imò nec illud nomen est omnibus nationibus commune, nam Poloni illud non adhibent ad significandum, sed toto caelo diversum. Ad secundum dico: Illud esse potius pro conclusione, nam si bene inspicitur, videbitur, quod Keren in lingua germanica non significabit cornu, sed scopationem. Alii dicunt, quod Deus nomen saccus speciali gratia reliquerit in confusione linguarum, ut saltem quantum ad panem petendum se intelligere possent, quem in faccis ferebant.

**Probatur quarto.** Possent homines omnes voces significativas facere non significantivas, solum aufferendo ab eis institutionem, quo casu nullum significarent conceptum rei; ergo ex institutione habent quod significant conceptus. Probatur consequentia, quia possent homines omnes voces non significativas instituire, ut essent significantiva, & tunc significant conceptus, & certe meo videri, hoc manifestè probat, voces dependentè ab institutione significare conceptus formales rerum, quia illa posita significant, & illa ablata non significant, quod est propriissime significare ex institutione, seu dependentè ab instituto.

**Dices.** Possent ergo vox Deus instituta esse ab hominibus ut significaret diabolum, & vox diabolus ut significaret Deum, sed hoc est scandalosum dicere, ergo. R. concessa ma. negando mi. quia si universaliter sic recipere-tur, scandalum nullum esset, quamvis esset, si aliquis privatus ex partiali capritio institueret, ut haec vox Deus significaret Diabolum. Sed principaliter contra Conclusionem.

**Arguitur,** Seclusa omni institutione, naturaliter cognoscimus proferentem aliquam  
F. Amandi Hermann Logica.

vozem illum habere conceptum in mente tali voci correspondentem; ergo naturaliter significant conceptum. R. negando ant. quod non facile probari potest, quia saepe non habet conceptum correspondentem, cum enim mentitur, aliud habet in mente, & aliud loquitur, quia mentiri est contra mentem ire. Deinde cum certo scimus, aliquem mentiri, & scimus ipsum scire se mentiri, tunc non cognoscimus illum habere conceptum correspondentem vocibus, quas profert. Sed

**Dices:** Hoc esse per accidens. Sed R. etiam esse per accidens, quod habeat conceptum in mente, quia nulla est necessaria connexio conceptus, seu verbi interioris cum verbo exteriori, ut patet in distractis, & in illis, qui proferunt verba ignoti idiomatis. Sed

**Instabis:** Voces ex natura sua esse significantivas conceptuum, licet hic & nunc non significant; Verumtamen R. negando ant. quia ut inquit Scotus, si vox non esset instituta, ut signum conceptus, nihil audientem juvaret; ergo hoc non habent ex natura sua, quia eandem semper habet naturam haec vox homo ante & post institutionem, & planè est ipsi per accidens, quod significet rem & consequenter conceptum.

**Dico 3.** Voces significantiva, licet ex institutione significant conceptus determinatos, naturaliter significant conceptus indeterminatos. Hanc conclusionem non credo sic fuisse antea propositam.

**IX.**  
Voces naturaliter significant conceptus indeterminatos.

**Probatur tamen;** Quandounque audimus aliquem discurrentem & verba proferentem naturaliter, cognoscimus eum habere conceptum; ergo naturaliter voces significantiva prolata significant mihi conceptum indeterminatum. Probatur ant. Ideo dicimus naturaliter fumum significare aliquem ignem ibi latere, quia omnibus nationibus & gentibus constat, sed si aliquis voces significantivas proferat, omnes nationes cognoscunt, cum habere aliquem conceptum; ergo. Probatur mi. Si aliquis Praedicator ex Indiis huc adventaret, nobisque loqueretur verbis & vocibus in lingua sua significantiva, quilibet cognosceret ipsum habere conceptum aliquem, sicut etiam contingit iis omnibus, qui peregrinantur per Regna & provincias ignoti idiomatis, ubi loquentes saepe responsum ferunt, quid tamen respondens dixerit nesciunt, cum tamen sciant, eum suum conceptum manifestasse, ergo indeterminate significant res, conceptus naturaliter.

**Probatur secundo:** Ex natura & non ab institutione habet homo proferre voces articulatas, sicut habet etiam proferre voces non articulatas, ut patet, quia hoc est omnibus omnino hominibus commune, sed voces inarticulatae, ut gemitus, & suspiria, naturaliter significant; ergo voces etiam articulatae significant mihi aliquid naturaliter, nihil aliud quam res & conceptus; sed haec non significant determinate naturaliter, quia haec vox, quae modò significat mihi hominem, possent significare mihi equum; ergo significabit mihi indeterminate saltem conceptus.

M m

Tertio

**Tertiò.** Si voces non significarent conceptus naturaliter, sequeretur cum non peccare, qui in conversatione humana eas profert sine conceptu, sed hoc est falsum; ergò significabunt naturaliter. Probatur ma. Quia non peccat is, qui facit vel omittit id, ad quod naturaliter non tenetur; ergò probatur minor quoque, quia mentiens peccat ex eo, quòd proferat voces absque eo, quòd velit significatum suum conceptum, aut quòd contra conceptum proferat, item distractus peccat inter orandum divinum officium, quia tenetur habere conceptum conformem vocibus, ergò. Et hæc ratio si non probat voces significare conceptus naturaliter determinatos, ad minus probat eos significare indeterminate.

## QUESTIO V.

*Utrum Voces perfectius & distinctius possint significare, quam imponens vel loquens intelligat & percipiat?*

**I.**  
*In significatione vocum duplex potest attendi perfectio.*

**Ante resolutionem.** Notandum primò in significatione vocum duplicem posse attendi perfectionem, videlicet veritatem & falsitatem, distinctionem & confusionem, nam sicut cognitio potest presentare objectum verè vel falsum, distinctè vel confusè, ita etiam potest vox significare verè vel falsè, distinctè vel confusè, & sicut cognoscere verè & distinctè perfectionis est, ita cognoscere falsè & confusè imperfectionis est. In presenti questione non agam de veritate & falsitate significationis, quia de hac re fufius tractabitur disputatione sequenti per totam, sed solum de distinctà & confusâ significatione, ita ut sensus sit, utrum aliquis audiens vocem, non quaecumque, sed significativam possit clarius & distinctius rem, per vocem significatam, cognoscere, quam ipse proferens, vel instituens cognoscat? Circa quam materiam duplex est extrema sententia, prima dicit, mensuram significationis sumendam esse ex conceptu loquentis vel instituentis, & idèd non posse distinctius significare audienti quam loquenti vel instituenti; hæc sententia tribuitur D. Thomæ, quem plurimi Recentiores sequuntur, Fonseca, Suarez, Hurtadus, Amicus. Secunda sententia est Scoti in d. 22. q. un. cum universâ suâ Scholâ, qui omnes docent, posse voces distinctius significare rem audienti, quam significanti loquenti vel instituenti, hanc sententiam sequitur Oecham Gregorius & ex Recentioribus Molina, Vasquez, Tannerus, pro quâ sententiâ intelligendâ

**II.**  
*Sensus questionis exponitur.*

**Notandum secundò.** Eam debere intelligi taliter, quòd si audiens præhabuerit clariorem absque hoc rei cognitionem vel speciem rei significatæ, si enim non præhabuit, tunc voces æque confusè & fortè etiam confusius rem audienti significabunt, ut patet; si enim Titius nunquam vidisset Romam vel Silliam, & Mævius de eâ, qui etiam eam nunquam vidit, vel de eâ aliquid cognovit, narraret, tunc certè Titius æque obscure & confusè ipsam conciperet, si non confusius ac ipse Mævius, si Mævius Titium in subtilitate & veloci-

tate ingenii superaret, quamvis e contra, si Titius excelleret in donis naturalibus, ex tali narratione posset perfectionem in aliquo conceptum habere. Ad quod

**Dico 2.** Possunt voces clarius & distinctius rem significare audienti, quam loquens intelligat, vel instituens in vocis impositione rem ipsam cognoverit.

**Probatur Conclusio primò,** autoritate & ratione Scoti d. 3. q. 3. Quantum ad secundum hæc habet: Si non posset distinctius significari, quam intelligi, nullum nomen impositum a victore significaret aliquam rem de genere substantiæ, sed sicut præcisè concipitur ab intellectu victoris aliqua proprietas, à quâ imponitur nomen, quæ proprietas communiter exprimitur per etymologiam nominis, ita præcisè talis proprietas significaretur per nomen, puta per hoc nomen lapus non significaretur aliquid de genere substantiæ, sed tantum aliquid de genere actionis, puta a lesio pedis, quam exprimit etymologia huius nominis, & fuit ratio à quâ imponebatur nomen, & ita potest argui de omnibus aliis nominibus impositis rebus de genere substantiæ, vel oportet dicere, quòd distinctius nominabat substantiam quam intelligit, ergò.

**Probatur secundò.** Quodcumque voces aliquid significant, intendunt & debent rei nominatæ cognitionem in mente audientis gignere, sed talis cognitio non solum per vocem, sed mediante specie, quem in intellectu vel phantasiâ audientis renovat & excitat, vel de novo producit; ergò si in audiente sint perfectiores species rei cognoscendæ, vel si sit perfectioris & sagacioris ingenii perspicaciorisq; iudicii, quam loquens vel imponens, vox prolata, perfectionem producat speciem, & consequenter perfectiorem cognitionem; ergò vox potest clarius & distinctius percipi ab audiente, quam à loquente vel imponente. Confirmatur 1. Quòd perfectior est potentia auditiva, eò perfectius percipit sonum perfectiorem, prius producendi soni speciem; ergò quò perfectior est intellectus, prolata voce perfectiorem producat intellectiorem. Confirmatur secundò, si Prædicator vel Lector ex Cathedrâ pro Concione dicat, certè ex illis audientibus alii aliis perfectius, distinctius, & clarius percipiunt; sed hoc non est ex ratione dicentis, qui clariorem & confusionem haberet vel proferret cognitionem; ergò est ex parte audientium; ergò si audientes sint subtilioris ingenii, perfectiores formabunt vocibus perceptis de rebus conceptis, & secundum meum videri hoc manifestum est, nam si rusticus loquatur sibi simili & Philotopho, certè Philotophus perfectius percipiet quam rusticus sermonem proferens, & fortè etiam perfectiorem habeat cognitionem quam alter villanus, si major esset Coridon.

**Probatur tertiò,** Rex à natiuitate cæcus, autoritate, quâ summus princeps est, posset, ex auditis quòd in suâ ditione regni decem solemnes inveniantur colores, singulis singulas imponere voces & nomina, quo facto, quicumq; illos colores videret intuitivè, perfectius eos cognosceret quam Rex, qui illis nomina imposuisset. Similiter si Arnulphus

III.  
Pecce post  
Champhie  
fructure  
audire  
quam lo  
quens et

V.  
hæc ad  
primi  
fructure

agat

agat oratorem Catholici Regis vel imperatoris apud Catholicum Regem, cui ex Bern vel Brasilia deferretur aliquod monitrum haecenus nunquam visum, nec nominatum, quod monitrum referret Arnulphus se vidisse, nesciret tamen illud nominare, quod Imperator statim posset vocare Clestarus, ubi ad prolationem huius vocis Arnulphus perfectiorem haberet de illo monitro conceptum, quam ipse Imperator, qui nomen illud indiderat, & omnes alii de eo colloquentes; ergo voces possunt perfectius significare, quam loquens vel imponens intelligat, & quamvis hoc non sit universaliter verum, ita quod voces dentur, ad quarum prolationem res perfectius concipi non potest quam loquens proferat, hoc non obstat quidquam conclusioni, quae non procedit universaliter, sed tantum posse contingere, & hoc frequenter, ut voces audiens perfectius rem cognoscat, quam loquens &c. Sed

**Dices incontra.** Nomina agunt vires conceptuum, & in tantum vim habent significandi, in quantum substituitur; ergo non clarius nec distinctius significabunt rem audienti quam loquenti. R. negando consequentiam: Quia in agente perfectiorem invenit vox conceptam, quam inveniat in instituentem & loquentem, nempe perspicacitatem intellectus, perfectiorem speciem, &c.

**Instabis.** Si quis loqueretur eo modo, quo angeli nunc & defacto loquuntur, in sententia Theologorum, manifestando scilicet alteri immediate suos conceptus, ita res exprimerentur conceptibus, & tam distincte quam distincti sunt ipsi conceptus; ergo etiam per voces, si exprimuntur. R. negando consequentiam, tum, quia voces sunt instituta ex bene placito hominum, conceptus vero in tali casu se naturaliter manifestarent, quod semper fit aequaliter, tum etiam, quia nomina tantum secundario conceptus exprimunt, & primario res, adeoque ubi perfectior species erit, perfectior potest generari cognitio.

**Dico 2.** Voces etiam sunt signa ipsis mentibus, ita ut aliquis, cum se ipso loqui possit. Et Scot. l. d. 22. q. un. ubi ait: quod perfecte uti nomine, seu in ipso ut signo conceptus proprii expressivo, & ibidem explicans verba Augustini supra Ezech. 1. 13. Verba instituta sunt ut signa, quibus in alterius notitiam, vel quasi, inquit Doctor, alterius, quando aliqui seipsum alloquendo efficacius ducit in intelligendo per remembrance. Et hoc fieri posse: probatur ex scriptura, nam D. Paulus se suosque ad Hebraeos cap. 4. ita alloquitur: *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiae.* Quid simile narratur de Arlenio, qui sibi ipsi frequens existens Admonitor & virtutis Amulator sic se affatum refertur: *Arseni ad quid venisti?* Sic D. Franciscus, & plures alii Sancti seipso corrigebant, exercitabant, & ad altiora stimulabant.

**Probatur secundo Ratione:** Vox est instituta ad significandum; ergo significabit omni & etiam ipsi utenti; probatur consequentia, quia vox semper significat, ad quod significandum est instituta, intelligenti eam, sed ipse loquens tam bene intelligit eam (supra F. Amandi Hermann Logica.

modo enim esse alloquutionem in lingua vernacula, vel tali, quam quis novit) quam alius ab eo distinctus, ergo tam bene significabit ipsi ac cuicumque alteri. Sed Incontra

**Arguitur.** Vox praesupponit conceptum signati in utente, quia, antequam utatur, habet conceptum de re significata; ergo voces non sunt signa utenti, quia causatum manens causatum, non potest recitari, nec aliud simile, quia non possunt duo accidentia ejusdem rationis esse simul respectu ejusdem in eodem subiecto. R. ant. esse plerumque verum, quare nego consequentiam, cum altera probationis, quia non est de ratione signi semper actu significare, sed esse aptum natum significare, si nullum sit impedimentum ex parte passivi, sic Sacramenta, quae sunt signa gratiae, non semper actu significant gratiam, quando ponitur obex ex parte suscipientis, sunt tamen semper signa gratiae, quia quantum ex se est, sunt apta nata significare gratiam seu causare.

**Instatur.** Non datur aptitudo in signo etiam quantum est de se ad significandum illud, quod est impossibile ipsum significare, sed impossibile est, quod causet ut instrumentum cognitionem signati in utente, ergo. Probatur mi. quia impossibile est causare effectum praesistentem & actu permanentem; ergo. R. negando ma. quia datur potentia in aliquo, quantum est de se, ad causandum aliquid, quod tamen propter repugnantiam vel indispositionem ex parte effectus causandi causari non potest, sic Deus, quantum est de se, propter suam omnipotentiam, omnia causare debet posse, non potest tamen defacto producere chymeram, non quod non sit omnipotens, sed propter repugnantiam ipsiusmet chymerae, quia ipsa talis est naturae, ut ipsi ex principii intrinsicis repugnet, habere verum aliquid & reale esse.

**Urgetur.** Sequeretur quamlibet verem significativam esse, tam bene signum respectu phittaci, vel asini, quam respectu utentis; sed hoc est absurdum dicere; ergo etiam illud ex quo sequitur. Probatur sequela, quia quantum est de se quaelibet vox significativa, est apta nata ipsis significare; ergo. R. negando sequelam, Ratio disparitatis est, ex eo quod signum, seu vox significativa non significet conceptum rei significatae in phittaco vel asino, est propter indispositionem, seu incapacitatem essentialem asini & phittaci, quia ex natura sua repugnat illis cognoscere significatum, vel institutionem; quod autem non causet in utente est propter accidentalem tantum indispositionem, seu propter praehabitam cognitionem rei, quod est pure per accidens utenti, & hoc patet inde, quia si eadem vox prolata ab illo produceretur iterum a Deo, in ipso causaret cognitionem rei significatae, aliud autem est in asino & phittaco. Et quamvis haec omnia bene solvant difficultatem pro contraria sententia motam, attamen videtur mihi, quod facilius & ad eruendam ulteriorem instantiam ad primam & principale argumentum responderi possit, dist. ant. Vox praesupponit conceptum modo recto productum, concedo ant.

modo reflexo productum, nego ant. & dist. similiter consequens; ergo non sunt signa utentia ad causandum conceptum in recto, concedo; ad causandum conceptum in reflexo, nego consequentiam. Itaque quamvis voces præsupponant jam conceptum illum, qui in recto producit, tamen possunt esse signa ad causandum conceptum reflexum.

VII.  
Ordinarie respondetur negativè.

Bestie possunt loqui.

Quæres, An animalia rationis expertia loqui possint, & an homines eos intelligere valeant? Ad hoc dubium & quæsitum ordinariè respondetur negativè, & dicuntur rationem huius esse, quia soli homini competit loqui. Verumtamen hæc ratio petit principium, nam quod in quæstione versatur, est: an alicui competat præter hominem? & respondetur negativè, quia soli homini competit, manifestum est principium: Unde videtur mihi, quod non debeat ipsis omnis denegari loquela, & patet, nam aves, brutaque quadrupedia certis garribus suos conceptus sibi invicem insinuant, tales formando voces, ut non semper æquales adhibeant, quia alià voce provocant pullos ad escam, alià fugam & periculum insinuant, alià ad accubitum invitant, alià denique diurno, alià quoque nocturno tempore musitant, quæ diversitas secundum elevationem & depressionem facit veram articulationem cum alià materialis imaginationis significatione; Idem constat in vaccâ, quæ alià vocem edit vitulum requirens foeta, alià dum tauri est capida. Deinde constat ex Historiis, quod Julius Cæsar, in piscinâ quâdam murenam habuerit, quæ ad nomen suum prolatum subito comparuit vocanti, & ad modum respondentis vocem formaverit. Denique narratur quoque Apollonium Thyanæum nonnunquam cum pluribus suis commilitonibus in horto deambulando confabulantem, in quo multitudo erat passerum, ad quam advolavit aliquis aliunde, qui garru suo alios admonuit, in portâ saccum cuiusdam villici frumento plenum perforatum esse, multamque frumenti excidisse in terram, admonendo omnes ne moram traherent, sed quanto ocius advolarent; quem garrum Thyanæus commilitonibus totum recensuit mysterium inuitans socios, ut vaticinium experientiâ visus comprobarent, qui omnes lubentèr id, à passere insinuatam accedentes janua in rei veritate esse deprehenderunt, quod, quamvis à nonnullis reputetur pro fabulâ, non video tamen, quare reverà id non possit contingere, nec obstat, quod ordinariè homines aves colloquentes non intelligant, quin ipsæ inter se ipsas intelligant & colloquantur, aut quo minus intelligi possint, nam si Peruvianus aliquis in nostras veniret partes, reverà nullus nostrum ipsum intelligeret, quem tamen benè caperet alius ejusdem nationis, quare non videtur aliqua ratio denegandi animantibus brutis loquelam secundum imaginationem materialem, sicut nec ipsis denegari potest aliquis intellectus materialis, ita ut licet non sit tam perfecta, sicut est in homine, non sit tamen nulla. Et si dicas, esse aliquam metaphoricam, nihil dicis, quia aves plus loquuntur propriè & verè, quam loquatur cælum & terra; sed cælum & terra dicuntur loqui

solum metaphoricè; ergo animantia bruta non loquuntur solum metaphoricè loquutione, sed alià verà, quamvis minus perfecta. Videtur hoc sentire Plato in Polit. 10. S. Basilus, Josephus, &c. alii ut refert Cornelius à lapide, qui aliter refutare nequit, quam asserendo, hoc esse paradoxum; & si ita esset, sufficit mihi illud esse verum.

## QUÆSTIO VI.

Quid sit Scriptura & quid primariò significet?

Postexaminationem, quid & qualiter vox significet? superest ut etiam ostendam, quid sit scriptura seu scriptum, & quid significet? Et quantum ad primum, Scriptura ordinariè & benè definitur quod sit *figura visibilis ordinata ad representandam vocem*, ut hæc scriptura Felapton, quæ est ordinata ad representandam illam vocem Felapton; dicitur ordinata ad representandam vocem, quia scriptura distinguitur à picturâ propriè dictâ, quæ representat; verbi gratiâ, hominem, aut aliquam aliam rem à voce distinctam, licet scriptura interdum pictura vocetur nomine picturæ generalius sumpto, scripturam autem dicere particularem ordinem ad significandam vocem, constat ex D. Augustino lib. 2. Doct. Christi. 4. ubi ait: Quia verberato aere verba transeunt, nec diutius manent, quam sonant, ideo instituta sunt per literas signa verborum, & lib. 2. de Ord. inquit: Audiri verba absentium non poterant, ratio peperit literas; quod etiam significant res, patet inde, quia legendum in chartâ, etiamsi nullum verbum, quis proferat, intelligit quid legat: quod denique etiam significant conceptus, probatur, quia sicut voce prolata intelligo proferentem habere conceptum, sic etiam intelligo scribentem habere conceptum rei scriptæ, aliâ frustra essent scripta tot volumina à Sanctis Patribus & Doctoribus, tum frustra sacra Scriptura, quæ codicibus committeretur. Ex his ergo tribus, quæ Scriptura significat, pro secundâ parte tituli quaeritur, an primariò significet voces? an conceptus? Quare ad dubium quæstionis resolutivè

Dico: *scriptura primariò significat voces, postmodum res, & tandem conceptus*. Ita Doctor in secundo opere Perihermias; Estque etiam D. Augustini tum supra, tum cap. 5. Dialecticæ. Quid enim aliud literæ scriptæ, quam seipsas oculis, & præter se animo voces ostendunt? sed voces postmodum primariò significant res, & secundariò conceptus; ergo ex mente D. Augustini, Scriptura primò vocem, secundo rem, & tandem conceptum significat, imò lib. 15. Trinit. cap. 10. expressè hoc adstruit, nam ait: *Inventa sunt etiam literæ, per quas possumus etiam cum absentibus colloqui, sed ista signa sunt vocum, cum ipse voces in sermone nostro earum, quas cogitamus signa sint rerum*. Videtur qualiter edisserat literas primò significare voces, voces esse signa rerum, & non quarumcumque, sed quas cogitamus? & tract. 24. in Joannem. *Alièr videtur pictura, aliter videntur literæ; picturam cum videri, hoc est to-*

rum vidisse laudasse; literas cum videris, hoc non est totum, quoniam commoveris & legere. Etenim dicitur eam videris literas, si forte eas non novisti legere; Quia potius esse, quod hic scriptum est? interrogas quid sit? eam jam videas aliquid, aliud tibi demonstratorum est, a quo queris agnoscere quod vidisti. Alios ille oculos habet, alios tu. Nonne similiter apices videntur? sed non similiter signa cognoscitur, tu vides & laudas, ille videt & laudat, legit & intelligit. Ex qua autoritate desumo etiam primam rationem pro Conclusionem, ex qua eam sic proba: Aliter significant Scripturae literis exaratae, & aliter notae, quibus olim utebatur antiquitas aegyptiaca, item aliter, quam notae nunc & defaecto Mediceis, Altronomisque familiares, verbi gratia,  $\gamma$ ,  $\psi$ ,  $\pi$ ,  $\rho$ ,  $\sigma$ , sed ista signa significant immediate res; ergo literae non significant immediate. Probatur major, quia aliter significant mihi haec nomina scripta: *Aries, Taurus, Gemini, Luna, Mercurius, Venus*, quam illae notae, quia illae notae possunt hominem deducere in cognitionem sui significati absque eo, quod fiat latine loqui & latine nominare, nam sunt signa indifferencia ad omnem linguam, sed voces scriptae non sunt sic indifferentes; ergo aliter & aliter significant, & consequenter quia illa signa res ipsas significant, Scriptura significabit voces.

**Probatur secundò:** Si Scriptura immediate significaret res & non voces, posset aliquis qui nosset, verbi gratia, tantum Scripturam legere latinam, intelligere ipsam rem significatam; sed hoc est ridiculum, ut literas noscat & quas nunquam didicit, secundum significata intelligat; ergo. Probatur ma. quia nullam haberet Scriptura connexionem ad illas voces, sed tantum ad res; ergo posset eas immediate intelligere, vel si non potest, dicendum, hoc ideo esse, quia videlicet Scriptura necessariam dicit connexionem ad vocem, quod confirmatur.

**Primò,** quia *ly Ensis & gladius, Dominus & herus, bestia & brutum*, idem significant, seu sunt synonyma; sed si significarent scriptae ipsam rem, non esset ratio, cur lectae potius exprimeretur bestia quam brutum, herus quam Dominus; ergo.

**Secundò** voces non significantes scriptae, verbi gratia, *blatri baf, &c.* significant aliquid; sed non res, quia non sunt institutae ad significandum aliquid; ergo saltem significant illam vocem. Et ex hinc

**Probatur Conclusio tertio.**

Omnis significatio scripturae habet suam significationem ex significatione vocum; ergo scriptura habet necessariam & immediatam connexionem cum vocibus, quae alia non erit, quam signi cum suo signato; ergo. Probatur ant. Quia si tolleretur significatio huius vocis *homo*, ut non significaret amplius naturam humanam, etiam haec vox *homo* scripta eam amplius non significaret, et si eleveretur vox *blatri* & institueretur, ut significaret naturam humanam, etiam haec vox *blatri* scripta eam significaret; ergo significatio scripturae habet suam significationem a significatione vocum, & consequenter

scriptura primario significabit voces. Sed in Contra

**Arguitur.** Nemo scribens alteri, intendit ipsi significare voces, sed factum vel Historiam aut aliquam quamcumque rem, de qua alteri suum conceptum manifestat; ergo scriptura non significat voces, sed ipsam rem immediate. Sed  $\mathcal{R}$ . negando consequentiam, quia ex illo antecedente non sequitur, nec sequi potest, quia aliud est, quod quis intendit, veluti suum finem, & aliud quod quis ad attingendum finem quis adhibere debet, quia aliud est finis, aliud medium necessarium, sic licet aliquis intendat tantum rem gestam, verbi gratia, alteri manifestare scripto, attamen pro medio debet adhibere voces, quas scriptura immediate significat, sicut dum aliquis colloquendo intendit alteri manifestare vel narrare Historiam, debet adhibere voces, item angelus nolens alteri significare rem quamvis, debet etiam notificare conceptum, &c. & sic de aliis.

**Institatur.** Si scriptura significaret immediate voces, posset oculus tendere extra sic objecti latitudinem, sed hoc est implicatorium, ergo. Probatur sequela, quia posset tendere in perceptionem soni, sed hoc est extra latitudinem objecti oculi; ergo. Probatur, quia voces sunt soni articulati; ergo posset tendere in sonum. Sed  $\mathcal{R}$ . negando sequelam ma. cum probatione, cuius probationis ant. distinguo: voces sunt soni articulati, si considerentur prout sunt qualitates, & quaedam actiones animatae, concedo ant. si considerentur sub ratione signorum, nego ant. & consequentiam. Itaque quod scriptura dicitur significare vocem, non intelligitur, quod debeat significare entitatem vocis materialis, sed rationem signi in quantum talibus & talibus exprimitur characteribus.

**Urgetur.** Sequeretur omnes propositiones scriptas esse falsas, sed hoc non est admittendum; ergo. Probatur sequela: Quia si scripta sit haec propositio, *Petrus est Doctus*, vox *Petrus*, quae est significatum subiecti, non est vox *Doctus*, quae est significatum praedicati, & sic de aliis; ergo haec propositio erit falsa, & consequenter omnes aliae.  $\mathcal{R}$ . negando sequelam ma. cuius probationis ant. dist. si utraq; vox *Petrus* scilicet, & *Doctus*, sumantur pro se, concedo, si sumantur pro rebus, nego ant. & dist. similiter consequens; erunt falsae, si pro se accipiantur, concedo; si pro rebus accipiantur, nego consequentiam, unde in talibus propositionibus scriptis non habetur affirmatio vel negatio absoluta, antequam deveniatur ad ipsas res, unde praclare ad propositum nostrum D. Augustinus cap. 5. dialect. dicit. Quae ligimus igitur non verba sunt sed signa verborum, sed ut ipsa litera, cum sit pars minima vocis articulatae, abutimur tamen hoc vocabulo, ut appellemus literam etiam cum scriptam videmus, quamvis omnino tacita sit, neq; ulla pars vocis, sed signum partis vocis appareat. Et hoc bene notandum est ad evitandas multas aequivocationes.

III  
Scribens licet intendat significare conceptum, Scriptura tamen significat vocem primò.



## DISPUTATIO II. DE VERITATE ET FALSITATE PROPOSITIONUM.

**I**nter omnes mentis nostra Interpretes solemniores sunt propositiones, idè earum examen maxime huc spectat, quamvis alii de veritate & falsitate agant in Animasticis, ex eo quòd plurimum conducant ad actuum intellectus cognitionem, nihilominus Logica hoc simpliciter favendum, quia est Magistra & Scientia veritatis. Alii solent hic multum præmittere de Verborum & Orationis significatione, de Propositionum divisione & oppositione, sed quia puto id satis fuisse declaratum in Summulis, idè nihil repetendum duco. Sit igitur ad propositum

### QUÆSTIO I.

*An veritas & falsitas sit de essentiâ Propositionis?*

**I.**  
*Triplicem de-  
dit Aristot.  
propositionis  
definitionem.*

**In Summulis** disputatione secundâ q. 3. adduxi ex libro primo Priorum Aristotelem duas assignasse propositionis definitiones, unam per affirmationem & negationem, alteram per veritatem & falsitatem, ubi etiam primam amplexatus sum veluti bonam, reperi tamen nunc in nonnullis manuscriptis, Aristotelem etiam tertiam attulisse definitionem, quòd scilicet sit oratio enuntiativa unius de alio, quòd si ita esset, aliter absq; dubio esset Philosophandum, ita scilicet ut Oviedi & Pontii sententiæ non sint reprobandæ, quamvis nec ipsi approbandi, quòd Aristotelis definitiones planè rejiciant; Unde in hac quæstione queritur, an illæ definitiones datæ supra bonæ sint, & quænam sit essentialis? Circa quam materiam triplex est sententia, prima dicit veritatem & falsitatem esse de essentiâ propositionis, ita quidam Recentiores, quos tacitis nominibus citat Rubius I. Periherm. q. 3. secunda asserit affirmationem & negationem esse de essentiâ propositionis, ita quidam antiqui & multi Recentiores citati in Summulis. Tertia deniq; asserit, nec affirmationem & negationem, nec veritatem & falsitatem esse de essentiâ propositionis. Ad quod Resolvendum

**II.**  
*Bonè descri-  
bitur propo-  
sitiõ per af-  
firm & ne-  
gationem.*

**Dico I.** Bonè definitur propositio per affirmationem & negationem à posteriori veluti per primas & essentielles qualitates. Hæc sufficienter probata manet ex Summulis, ubi etiam inconvenientias, quæ contra adduci possunt solvi. Est tamen hæc Conclusio etiam de mente D. Augustini lib. Magist. cap. 5. ubi ait: *Pronuntiatum est plena sententiâ, quæ affirmari negari possit.*

**III.**  
*Etiam per  
veritatem &  
falsitatem.*

**Dico 2.** Bonè describitur etiam propositio per veritatem & falsitatem, veluti per qualitates accidentales. Hanc puto futuram extra controversiam, quia etiam multa alia per accidentales qualitates describuntur, cur ergò non possit etiam sic describi propositio?

**IV.**  
*Non sunt ta-  
men essential-  
es.*

**Dico 3.** Loquendo de propositione ut sic, & considerando affirmativam & negativam, veluti ejus proximas species, nec affirmatio, nec negatio est de essentiâ propositionis ut sic. Hæc est conformis ad tertiam sententiam. Probatur Ratione: Nullæ duæ species sunt de essentiâ generis, sed affirmatio & negatio statuuntur, veluti duæ species propositionis; ergò si sic considerantur, non possunt esse de essentiâ propositionis ut sic, ma-

ior est communis, minor patebit ex infra dicendis; ergò conclusio tenet.

**Dices:** Aristoteles definivit propositionem per affirmationem & negationem, quam definitionem defendi etiam in Summulis veluti bonam; ergò modo hoc negando contradico mihi. R. concesso ant. negando consequentiam, quia nec in Summulis defendi definitionem datam esse per essentialia & à priori, sed tantum à posteriori, ut patebit ex repositione ad argumentum pro contrariâ opinionem; Deinde defendi ibi tantum tanquam bonam, licet sit data per species, sicut etiam allegavi, bonam esse definitionem animæ, quâ dicitur, quòd sit illud, quo vivimus, sentimus, loco movemur & intelligimus, licet sit etiam data per species, nunquam tamen dixi, ibi esse purè quidditativam & essentialem, seu propositionis ut sic, in quantum affirmativam & negativam habet pro proximis & primis speciebus.

**Dico 4.** *Nec veritas, nec falsitas sunt de essentiâ propositionis ut sic.* Hæc est etiam communis Recentiorum contra primam sententiam.

**Probatur primò** autoritate Aristotelis cap. de sublimitate, ubi docet, eandem propositionem numero posse esse jam veram, jam falsam, ex quo sic arguuntur, & probatur Conclusio ratione: Eadem propositio immutata permanet sub veritate & falsitate; ergò veritas & falsitas non est de essentiâ propositionis. Probatur consequentia: hoc non est de essentiâ alicujus rei, sine quo res illa potest esse; ergò si propositio eadem potest esse sine veritate, vel falsitate, veritas & falsitas non erunt de essentiâ propositionis.

**Probatur secundò.** Si veritas & falsitas pertinent ad essentialiam propositionis; ergò propositio vera & falsa distinguuntur specie, sicut veritas & falsitas specie diversæ sunt, sed differentie specierum essentielles non pertinent ad essentialiam generis, sed extra eam sunt, quemadmodum differentie rationalitatis & irrationalitatis non pertinent ad essentialiam animalis; ergò veritas & falsitas extra essentialiam propositionis ut sic esse debent.

**Probatur Conclusio tertio.** Verum & falsum significare si est de essentiâ propositionis, vel est de essentiâ ejus determinatè, vel indeterminatè, non determinatè, quia propositio ut sic non est determinatè vera, nec determinatè falsa, sed abstractè ab utroque; aliàs quælibet propositio in particulari esset determinatè vera, vel determinatè falsa, quod probò,

probo, quia quidquid est de essentiâ superioris, est de essentiâ inferioris; ergo si de essentiâ propositionis in communi, erit etiam de essentiâ cujuslibet propositionis in particulari; Et quamvis istæ probationes bonæ sint intelligendo, posteriorem quoad nos, & priorem secundum aliquam probabilem sententiam de quâ infra agam.

**Attamen probatur adhuc** universalissimè: Illud non est essentia & alicujus ratio formalis præcisè constitutiva, quò datur aliquid prius, sed veritate & falsitate datur aliquid prius; ergo. Probatur mi. unum de alio dicere est prius, quàm unum de alio dicere verum vel falsum; ergo. Sed

**Opponitur** Autoritas Aristotelis, qui supra definit propositionem per veritatem & falsitatem; ergo veritas & falsitas erunt de essentiâ propositionis; ant. est certum. Probatur consequentia: Quia definitio debet fieri per essentialia; ergo si Aristoteles definivit propositionem per veritatem & falsitatem, veritas & falsitas erunt de essentiâ probationis. R. concessio ante. negando consequentiam, cujus probationis ant. distinguo. Definitio debet esse per essentialia strictè sumpta, concedo ant. laxè sumpta, nego ant. Unde Aristoteles non verè definivit propositionem per veritatem & falsitatem, sed tantum descripsit eam, tanquam per accidentia nobis notiora, unde veritas & falsitas non sunt nisi accidentia propositionum.

**Dico 5.** *Propositio ut sic describitur bene, quòd sit oratio perfectè unius de alio enuntiativa, ita quòd enuntiativa sit de essentiâ propositionis ut sic.*

**Probatur:** Quia omni & soli convenit, & declaratur: Ponitur oratio loco generis perfectè enuntiativa unius de alio, locò differentiarum; ergo est bona.

**Probatur secunda pars:** In illo consistit essentia propositionis, quod est radix & principium formale proprietatum ejus, videlicet affirmationis & negationis, veritatis & falsitatis, sed enuntiativa est tale principium; ergo ma. patet. Probatur mi. idè enim est propositio affirmativa, quia enuntiat unum de alio per affirmationem, & idè est negativa, quia enuntiat unum de alio per negationem, &c. ergo.

**Dices:** Plus debet habere propositio, quàm oratio, sed essentia orationis consistit in eo, quòd unum de alio dicatur; ergo propositio nò est oratio enuntiativa, quia nihil habebit plus ab ipsâ oratione; Probatur ma. omnis species debet habere plus, quàm habeat gen<sup>us</sup>, homo enim habet plus in se, quàm animal; sed propositio est species orationis ut est certum; ergo debet habere plus; subsumo: sed nihil potest habere plus quàm veritatem & falsitatem; ergo veritas & falsitas erunt de essentiâ propositionis. R. concessio ma. dist. mi. Essentia orationis consistit in eo, quòd unum de alio dicatur perfectè, vel imperfectè, concedo mi. perfectè semper, nego mi. propositio verè non enuntiat unum de alio quomodocunque, sed tantum perfectè, unde etiam ex proposito in definitio-

ne datà particulam perfectè addidi, hoc ergo proposito addit supra orationem, hinc negatur assumptum.

**Dices:** Adhuc Enuntiatio & propositio sunt idem; ergo definitio propositionis non est bona; ant. patet. Probatur consequentia: Illa definitio non est bona, quæ est identica, quia hæc non est bona definitio hominis, homo est homo, sed hæc est identica; ergo non est bona: R. negando ant. nam definitum & definitio non sunt idem, quia aliàs syllogismus, in quo ponitur definitio pro medio, non esset bonus, quia non haberet nisi duos terminos, verbi gratiâ, iste: Omne animal rationale est homo; Petrus est animal rationale, ergo Petrus est homo, quod tamen falsum est; & nego etiam consequentiam, ad cujus probationem dico verum esse, idè illam definitionem hominis non esse bonam. Primò quia est identica. Secundò quia explicat ignotum per æquè ignotum, in casu autè dato, nec est identica, licet idem significet definitum & definitio, nam hoc non sufficit, ut dicatur propositio identica, sed requiritur etiam ut eodem modo significet, hinc licet homo & animal rationale idem significant, tamen quia non significant eodem modo, nam primum significat confusè, alterum distinctè, idè non est identica hæc propositio, homo est animal rationale, sic quoque se habet se res in proposito.

QUÆSTIO II.

*Quid sit veritas & falsitas Propositionum & in quo consistatur?*

**Antequam** progrediar ad resolvendam

quæstionem, **Advertendum primò:** Quòd triplex reperitur veritas, una in essendo, altera in significando, & tertia in representando; In essendo est ea, quæ rebus omnibus existentibus & non existentibus convenit, quæ proinde transcendentalis appellatur, estque passio entis, ac proinde etiam falsitati competit & mendacio. Veritas in significando est illa, de quâ egi disp. præcedente. Veritas denique in representando est, quando unum aliquod objectum representatur, prout est in se, & de hæc veritate, quæ etiam cognitionis dicitur, hic erit sermo. **Advertendum secundò,** quemlibet actum intellectus duplex habere esse, unum Physicum, & est ipsa qualitas, quæ producit ab intellectu, alterum intentionale, & est ipsa conformitas intellectus ad rem intellectam, unde non requiritur ad veritatem representationis conformitas cum objecto in essendo, sed tantum in representando, quia objectum aliquando est substantia, imò etiam ens infinitum; actus autè semper est finitus & accidens, actus semper est quid spirituale, cum tamen objectum frequenter sit res materialis. **Advertendum tertio:** In quolibet intellectu duplicem esse rei cognitæ, seu intellectæ conceptum, unum objectivum alter formalem, formalis conceptus dicitur actus ille, quò intellectus rem aliquam concipit, qui idè vocatur conceptus, quia est proles mentis, & dicitur formalis, quia formalitèr exprimit & representat objectum, seu ipsam rem; Conceptus verò objectivus est ipsa res cognita, quatenus

IX.

I.

*Triplex est veritas.*

*Quilibet actus intellectus duplex esse.*

*Duplex est conceptus, unus objectivus alter formalis.*

tenuis actū ab intellectu per formalem conceptum attingitur, diciturque conceptus denominatione extrinsecā à conceptu illo formali, quem terminat, sicut paries denominatur visus extrinsecē ab actū videndi ad eum terminato: deinde denominatur etiam objectivus, quia obijcitur intellectui ipsum intelligendo. Differunt autē iste duo conceptus inter se, quia formalis est semper entitas realis vera à parte rei de predicamento qualitatis intellectui inhaerens, objectivus verò non semper est realis, ut patet, dum intelligimus entia rationis. Itaque in hac quaestione controvertitur, an veritas sit conformitas conceptus formalis cum ipsā re, an verò sit conformitas conceptus objectivi cum ipsā re, cujus rei ille est conceptus objectivus? Circa quam materiam duplex est sententia, prima dicit: quòd veritas sit conformitas conceptus objectivi cum ipsā re, ut est in se; Ita Durandus, Hervaeus, Jandunus, Soncinas, Vulpes &c. Secunda sententia dicit veritatem in representando, seu cognitionis esse conformitatem conceptus formalis cum re secundum se, & absolute spectata, & haec sententia est, Magni D. Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 11. asserentis: *veritatem esse in verbo interno*. D. Thomae hic lectione 3. Aegidii, Cajetani, Smiling, Mastrius, Comptonii &c. Cum quā etiam

II.  
Veritas non dicitur conceptum objectivi.

**DICO I.** *Veritas non est conformitas conceptus objectivi cum ipsā re prout est in se.* Haec est Contra primam sententiam. Et probatur 1. Veritas propositionis vocalis non consistit in conformitate rei ut significata ad se ipsam, ut in se existentem, sed consistit in immediatā conformitate vocis significantis ad rem significatam; ergò & veritas propositionis mentalis consistet in conformitate ipsius propositionis mentalis ad rem in se existentem. Confirmatur, quia tunc vera imago Petri dicitur, quando representat Petrum, prout est in se, unde veritas illius imaginis non consistit in conformitate inter Petrum in aliquo esse representato & objectivo respectu imaginis ad ipsum Petrum in se existentem, sed in conformitate immediatā inter representationem imaginis, & rem ipsam representatam.

III.  
Veritas dicitur conceptum formalem.

**DICO 2.** *Veritas est conceptus formalis conformitas cum ipsā recognita & representata.* Haec est Doctoris 1. d. 3. q. 1. C. ubi habet haec verba: *Quòd potentia cognoscens assimilatur cognito, verum est per actum suum cognoscendi, qui est quaedam objecti similitudo.* Ex quo

**Probatur etiam Conclusio:** Veritas imaginis non potest melius explicari, quam per conformitatem ad suum prototypum, nec veritas similitudinis nisi per ordinem ad terminum, sed conceptus formalis seu cognitio est imago & similitudo rei cognite; ergò ejus veritas non poterit melius describi, quam per conformitatem ad rem.

IV.

**DICES I.** In contra. Inter cognitionem & rem cognitam debet esse conformitas, sed inter cognitionem formalem & rem cognitam nulla est; ergò ma. est certa, probatur mi. quia cognitio formalis est quid spirituale, res cognita frequenter res materialis, cognitio for-

malis accidens de genere qualitatis, res cognita frequenter est substantia; ergò. & dist. ma. Inter cognitionem & rem cognitam debet esse conformitas in essendo, seu entitativa; nego ma. in representando, concedo ma. & dist. similitèr mi. nego consequentiam. Quia alias cognitio lapidis deberet esse lapis, si requireretur conformitas entitativa, quare sufficit conformitas in representando.

**DICES secundo:** Objectum intellectus est verum, sed objectum praesupponitur cognitioni; ergò veritas prius est in objecto, & consequenter male dicitur, quòd consistat in conformitate cognitionis ad objectum. Sed & dist. etiam ma. Objectum intellectus est verum formaliter sumptum, nego ma. fundamentaliter seu causaliter sumptum concedo ma. Verum autem fundamentaliter sumptum est res ipsa, quae ut cognita potest causare veritatem in cognoscente, itaq; veritas est in objecto veluti in causa, à qua derivatur in cognitionem, quemadmodum sanitas à medicina causatur in animali, & proinde sicut sanitas medicina non est nisi efficiens sanitas, nec tollit sanitatem formalem, quae in animali est, ita licet objectum fundamentaliter sit verum, & veritatem causet formalem, non tollit tamen, quò minus veritas inest conceptui formali,

Ex his facile patet, quidnam sit falsitas? videlicet, quòd sicut veritas cognitionis nihil aliud est quam conformitas cognitionis ad rem cognitam, ita falsitas nihil aliud est, quam difformitas cognitionis ad rem cognitam; Et quamvis hoc communiter concedatur, adhuc tamen inter Authores controvertitur, an ista conformitas sit quid absolutum, an verò aliquid respectivum, similitèr an difformitas sit aliquid reale positivum, an verò solummodo aliquid privativum?

**DICO 3.** *Veritas dicitur relationem realem conformitatis ad objectum, falsitas verò relationem realem difformitatis ad objectum.* Haec est Doctoris 6. Met. q. 3. S. *Sed quid est utraq; veritas, ubi etiam innuit, quòd sit relatio realis, ut paulò post probabo.*

**Probatur Conclusio:** Quia quòd pro formali dicitur ordinem ad aliud ita, ut nec esse nec concipi possit, sine illo ordine est formaliter relatio, sed haec conformitas dicit formaliter ordinem ad aliud, ita ut nec esse nec concipi possit sine tali ordine; ergò est formaliter relatio; Probatur mi. quia haec conformitas est quaedam intentionalis similitudo & imago representans objectum, sicuti est, sed omnis similitudo est relatio pro formali; ergò etiam conformitas. Quòd autem haec relatio sit realis, probatur tum ex Doctore supra, ubi de veritate simplici seu incomplexā sic subdit: *Prima est relatio actus simplici seu apprehensionis ad suum objectum, & est realis, de veritate verò complexā sic ait: Si autem placet, quòd ille actus comparativus extremorum compositionis immediate correspondeat vel adaequetur rei, cum ille actus sit vera res, sicut & primus, qui est unius absolute, tunc veritas secunda est relatio realis sicut & prima, per quae loca Doctor insinuat tam veritatem, quae est simplex*

simplex apprehensio, quam eam, quae est iudicium, esse relationem veram, quia etiam utraque est veritas & conformitas, ut in quaestio secundo huius quaestiones resolvam.

**Probatur hoc etiam ratione,** nempe quod sit relatio realis; Quia est independentem ab operatione & negatione cuiuscumque potentiae potentis fingere vel comparare.

**Probatur etiam secunda pars** principalis Conclusionis: Veritas est relatio realis; ergo etiam falsitas: Probatur consequentia, Relationes primi modi, scilicet identitatis & diversitatis, similitudinis & dissimilitudinis, &c. sunt relationes reales & positivae; sed relationes conformitatis & difformitatis, sunt primi modi; ergo. Probatur mi. Relatio conformitatis est intentionalis similitudo, & difformitatis est intentionalis dissimilitudo, sed similitudo & dissimilitudo sunt primi modi, ergo. Sed

**Arguitur.** Contra illam partem quod sit relatio realis. Cognitio divina repraesentans me actu existentem, non dicit ad me relationem realem; ergo male dicitur, quod cognitio seu conformitas sit relatio realis, etiamsi versetur inter extrema realia, consequentia patet. Probatur ant. tum quia nulla relatio resultat in Deo, quae non sit ab alterno in ipso, tum quia iuxta omnes Theologos Deus nullam dicit relationem ad extra, quia hoc argueret in ipso magnam imperfectionem. R. quod totum hoc argumentum nihil contra dictam concludat assertionem, quae solum loquitur de conformitatibus creatis, non vero de divinis, unde ubi in creatis ponitur relatio realis, in divinis ponitur ratio. Sed

**Instatur.** Actus intellectus non potest immutare objectum realiter, aliis posset immutare Deum; ergo nec in creatis poterit esse relatio realis, quia alioquin objectum mutaretur realiter. R. dist. ant. actus intellectus non potest immutare objectum realiter vera mutatione Physica concedo, vera mutatione improprie dicta & relativa, nego ant. cum consequentia, & probatione ante; Quia licet actus intellectus possit mutare objectum mutatione improprie dicta, seu regativa, quae sit per resultantiam, non potest tamen immutare Deum, qui est simpliciter immutabilis realiter; dico notanter realiter, quia potest Deus in tempore fundare relationem rationis, ut verbi gratia, quando in tempore creat, & similiter terminare, quando a me intelligitur, & hoc nullam in eo arguit imperfectionem, nec propterea dici potest vel debet, quod mutatur simpliciter.

**Urgetur.** Iudicium, quo ego iudico, quod omnis qualitas sit ens reale, non dicit conformitatem realem ad objectum, aliis diceret relationem ad seipsum, quod nemo dicit; ergo stat adhuc argumentum, quod non omnis relatio etiam creata sit realis, licet sit inter extrema realia. R. argumentum nihil urgere contra conclusionem, nec contra responsum, quia non loquor hic de relatione inter quaecumque

F. Amandi Hermann Logica.

extrema, sed inter extrema realiter distincta, qualiter non est illud iudicium.

**Arguitur 2.** Quod falsitas non consistat in relatione reali. Sicut se habet malitia ad bonitatem, ita falsitas ad veritatem, sed malitia dicit formaliter privationem bonitatis; ergo & falsitas. Probatur ma. Quia sicut malum est defectus voluntatis, ita falsum est defectus intellectus; ergo. R. dist. ma. in ratione generica oppositionis, concedo ma. in ratione specifica, nego ma. & concessa minori, nego consequentiam, disparitas est, quia malitia, cum sit effectus voluntatis, etiam in pura omissione reperiri potest, & tunc consequenter non poterit consistere in aliquo positivo, quia super omissionem puram relatio positiva fundari non potest, falsitas autem, quae est effectus intellectus, cum nunquam reperiri possit sine actu positivo, semper sufficiens est fundamentum relationis.

**Instatur.** Ens communissimè sumptum dicit relationem veri, tanquam passionem entis, cui falsitas opponitur; ergo falsitas non poterit ens esse positivum, quia extra ens communissimè sumptum non datur aliud ens positivum; ergo si falsitas, ut sic negativè opponitur veritati, quaelibet etiam falsitas negativè opponetur, & consequenter non poterit fundari supra aliquod positivum. R. dist. primum consequens falsitas in essendo, quae opponitur veritati in essendo, concedo consequentiam, falsitas complexa seu in representando, quae opponitur veritati in representando, nego consequentiam, similiter distinguo secundum consequens: Ergo si falsitas ut sic in essendo opponitur negativè veritati ut sic, quaelibet etiam falsitas in representando sic opponetur, nego consequentiam, quaelibet falsitas in essendo, concedo consequentiam. Et si prior solutio Argumenti tibi insufficientis videtur, responde ad illud per hanc aliter, & facile evades difficultatem.

**Quæres,** Qualis nam sit hæc relatio realis? R. illam non esse determinatè relationem prædicamentalem, nec determinatè transcendentalem, nec determinatè realem perfectam, scilicet cum omnibus conditionibus requisitis ad veram relationem realem, nam in propositionibus contingentibus indeterminatam partem significantibus est realiter distincta consequenter prædicamentalis, in actibus necessariis, qui semper ex natura sua sunt veri, est realiter identificata & sic est transcendentalis. Deniq; in propositionibus contingentibus de præterito vel futuro, quarum objecta non existunt, relatio non erit perfectè realis, quia deest una conditio, scilicet quod sit inter extrema realia, & idem dicendum de cognitione non entium & entium rationis.

**Quæres 2.** Utrum in simplici apprehensione detur veritas? R. affirmativè. Colligitur ex Doctore supra, ubi vocat veritatem, quae in apprehensione simplici consistit, conceptum in complexum, & eam, quae consistit in iudicio, complexum. Ratio est: Quia cui convenit propria conformitas, convenit etiam

Na propria

VIII.

IX.

Hæc relatio non est aliqua determinata.

X.

In simplici apprehensione datur veritas.

propria veritas, siquidem veritas consistit essentialiter in conformitate representationis ad representatum, vel signi ad suum significatum, sed conceptui simplici competit propria conformitas cum suo objecto incomplexo, non secus ac conceptui complexo competit conformitas cum suo objecto complexo, ergo non minus isti quam illi convenit propria conformitas & veritas, quamvis inter se differant in eo, quod nimirum per complexam attingitur, determinate esse quod est, aut non esse quod non est, in veritate autem simplicis apprehensionis indeterminatè & neutraliter, & hæc veritas non opponitur falsitati, sed ignorantie, unde falsitas non competit simplici apprehensioni; nam Aristoteles 3. de anima dicit: non contingere per simplices conceptus intellectum falli vel decipi, sed potius non attingere, aut ignorare objectum, & hoc optime declarat S. Augustinus exemplo sensus: nam cum sensus, verbi gratia, visus attingit visibile, dicitur verus visus, cum autem non attingit objectum, nec illud percipit, non dicitur falsum, sed tantum non videns, sic etiam contingit in proposito de simplici apprehensione, quia dum intellectus concipit aliquod objectum, tunc conceptus est verus, quia verè attingit objectum, si verò illud non attingit nec concipit, tunc dicitur illud ignorare.

### QUÆSTIO III.

*An Propositio sit una simplex qualitas?*

I.  
Difficultas  
est de propo-  
sitione men-  
tali.

Controversia hæc non procedit de propositione vocali, nec de scripta, quia de his certum est, quod non sint simplices qualitates, sed quod pluribus consistant partibus, scilicet, vel ex pluribus vocibus, vel ex pluribus scripturis, unde difficultas tantum est de propositione mentali, in quantum in mente est, an componatur ex pluribus partibus, ita quod aliqua correspondeat subjecto, altera copulæ, & tertia predicato? an verò consistat in solo Conceptu copulæ utrumque; extremum copulantis, quamvis necessariò respiciat etiam indirectè & secundariò utrumque. Circa quam questionem Duplex est potior sententia; Prima dicit esse impossibile, ut propositio mentalis sit una simplex qualitas, sed esse necessariò ut propositio mentalis iudicata non sit unus simplex conceptus, sed compositus ex pluribus conceptibus ac qualitatibus. Ita Rubius, Vasquez, Molina, Vulpes, in quam sententiam etiam inclinare videtur Scotus ipse, I. Perih. q. I. ad tertium, & eam probabilem iudicant Posnanienses. Secunda sententia dicit propositionem mentalem esse simplicem qualitatem. Ita Basolus, Mastrius, & Bellutus, Connimb. Boethius, Durandus; Et colligitur etiam ex Scoto 2. d. 38. sequiturque Gregorius, unde pro dicendorum intelligentiâ

II.  
Quadruplex  
est compositio.

Notandum, Compositionem alicujus operationis intellectus esse quadruplicem, videlicet formalem, virtuales, objectivam, & suppositam; Formalis compositio est, quando operatio constat multis conceptibus distinctis; Virtualis est, quando operatio est formaliter unus

actus, æquipollet tamen multis ob varia objecta quæ attingit; objectiva, quæ semper cum virtuali conjuncta est, tunc datur, cum objectivi conceptus à mente compositi sunt plures; supposita est, quando actus simplex intellectus supponit plures actus accidentales circa objectum, in quod debet tendere. Hoc præmissis ad questionem resolutivè

Dico: *Propositio mentalis non est composita ex pluribus actibus intellectus, sed est una simplex qualitas.* Ita Authores pro secundâ sententiâ citati: &

Probatur primò autoritate Boethii 4. de Interp. ubi propositionem & iudicium affirmativum vocat *nutum*, propositionem verò & iudicium negativum appellat *obnutum*, sed nutus & obnutus sunt qualitates & conceptus simplices, ergo etiam propositiones.

Probatur secundò autoritate Scoti & fundamento quod indicat quodlibeto 13. ubi expressè & expresse probat quæcumque intellectus nostri operationem esse quid per se unum in prædicamento qualitatis reponibile, sed non potest ex pluribus actibus congregatis simul & adunatis constitui & resultare quid per se unum, ergo.

Probatur tertio. Si iudicium non esset simplex sed compositum, tunc necessariò deberet componi ex pluribus apprehensionibus, vel ex pluribus iudiciis, sed neutrum dici potest; major est clara; probatur mi. non primum, quia in Catholico refusante propositionem hæreticam, sunt plures apprehensiones correspondentes pluribus partibus hujus complexi, verbi gratia, duo tantum sunt Sacramenta, sed in Catholico nullum est iudicium de tali propositione, quia alias esset hæreticus, ergo. Nec etiam secundum, propter rationem supra positam, ergo.

Probatur quarto. Si propositio mentalis, seu iudicium esset compositum, hoc deberet esse necessariò ex apprehensione subjecti, predicati & copulæ, sed hoc non est, ergo major patet, quia non est aliud assignabile, probatur mi. quia fieri potest, ut omnes illæ apprehensiones sint in intellectu, & tamen non sit adhuc aliud iudicium, ergo. Probatur anti. Quia possum ego apprehendere totam hanc propositionem, *astra sunt paria, velum est frigidum, calidum*, & tamen nullum ferre iudicium, ut patet ex quotidianâ experientiâ, ergo. Deinde secunda mentis operatio non distingueretur à primâ, quia datur prima mentis operatio, seu apprehensio alicujus totius complexi, verbi gratia hujus: *homo est animal*, ergo si secunda mentis operatio non est nisi connexio & adunatio, seu aggregatio ex pluribus primis apprehensionibus, secunda mentis operatio non distingueretur à primâ. Sed

Dices: Imò hoc esse pro contrariâ sententiâ, nam si iudicium est tantum simplex conceptus & simplex qualitas, tunc non poterit assignari distinctio inter primam & secundam mentis operationem, ergo. Probatur anti. quia prima operatio non est composita ex pluribus actibus,

actibus, ergo si secunda esset simplex, non esset signum distinctionis. Sed R. negando ant. cum sua probatione, quia secunda mentis operatio non distinguitur praecise a prima, quod haec sit simplex, & illa sit composita, sed ideo, quia prima nullam praesupponit aliam operationem, secunda vero necessarii praesupponit aliam operationem intellectus, nam nullum iudicium de aliquo ferri potest, sive sit negativum, sive affirmativum, nisi prius apprehendatur illud, de quo aliquid affirmari, vel negari debet, & id quod affirmari, vel negari debet, sed Contra Conclus. principaliter.

**Opponitur** Autoritas Scoti tum 2. d.

3. q. 10. ubi dicit: eandem speciem non posse repraesentare plura, sed in hac propositione, verbi gratia, homo est animal, sunt plures species, quia aliam exigit *homo*, & aliam *homo albus*; ergo iudicium illud, quod fit mediatis illis speciebus, non erit simplex, sed debet esse compositum, quia alioquin deberet esse species, quae repraesentaret totum hoc pronuntiabile, quae tamen non datur ex Scoto tum 1. q. 1. s. ad tertium dico: ubi expressè asserit: *sicut nomen & verbum sunt partes enumerationis in voce, sic in ipsa mente sunt partes orationis, quae enim concipiuntur ab intellectu in prima eius operatione, componuntur in secunda.* R. Doctorem in primo loco tantum velle, quod una eademque species non possit repraesentare plura, quando illa plura sunt disparata, & nullo nexu conjuncta, non vero quando inter se unionem habent, vel ad se invicem subordinantur. Et quod hoc ita sit, satis deducitur ex eo, quod non implicet eandem imaginem & simplicem cognitionem repraesentare plura per modum unius, quantum ad unionem primario & iudicative, secundario vero respiciendo extrema, ut patet, tum ex scientia Divina, quae in se est simplicissima, & tamen repraesentat omnia repraesentabilia; tum ex sat probabili sententia D. Thomae unam speciem angeli superioris, verbi gratia, Michaelis illa continere, quae in pluribus speciebus angeli inferioris continentur. Ad secundum Locum R. Scotum loqui de propositione objectiva in mente, quatenus est objectum mentis operationis, ut patet ex illiusmet verbis dum dicit, quae enim concipiuntur (id est extrema) in prima eius operatione, componuntur in secunda per actum intellectus componentis, nihil autem dicit, quod iudicium factum sit etiam aliquod compositum, quod tantum esset contra Conclusionem.

**Instatur.** Si haec propositio *homo est non*

*homo*, sit in mente simplex qualitas, repraesentabit simul contradictoria, sed hoc est inconveniens, quia alioquin sibiipsi contradiceret, ergo. Verum tamen R. 1. tale iudicium non posse esse in mente sana. R. 2. Illam propositionem posse in intellectu sedere, seu apprehendi per primam mentis operationem, sed non ferre de illo iudicium affirmativum, quia impossibile est idem simul esse & non esse, & quicumque hoc principium scit (scit autem quicumque habet intellectum) non potest illam propositionem iudicare esse veram, licet bene potest iudicare esse falsam.

F. Amandi Hermann Logica.

**Urgetur** Iudicium, quo iudicat ipsam esse falsam, vel est simplex qualitas, vel non, si non; ergo falsum est, propositionem mentalem pro formali esse simplicem qualitatem, si sic; ergo in eodem intellectu respectu eiusdem erunt duo contradictoria, nempe haec, *homo est non homo.* R. tamen esse simplicem qualitatem, nego tamen hinc sequi ullam contradictionem in iudicio, quamvis in prima mentis operatione videantur res contradictoriae apprehendi, in quo nulla est absurditas, nam intellectus non est magis limitatae virtutis quoad hoc, quam visus, visus autem, quod video hominem, repraesentat mihi & hominem & albedinem, quae est in dentibus, & nigredinem quae est in capillis, non propterea contradicit aut contrariatur sibi. Sed adhuc contra Conclusionem.

**Opponitur** Autoritas Aristotelis I.

VIII.

de anima cap. 6. ubi dicit: in quibus falsitas & veritas inest, in his est compositio quaedam, sed in propositione mentali est veritas & falsitas; ergo propositio mentalis est compositio quaedam, & consequenter non est simplex qualitas. Item hic cap. vocat secundam mentis operationem compositiorem. R. etiam sicut ad Doctorem supra, nempe Aristotelem loqui de propositione mentali objectiva, & non de formali, & sic explicant Aristotelem pro utroque loco Connimb. q. 4. art. 3. cap. 4.

**Instatur:** Propositio hypothetica non est una simplex qualitas; ergo nec categorica a paritate rationis. R. concessio ant. negando consequentiam, quia cum hypothetica propositio aliud non sit, quam duae categoricae, & consequenter etiam duo iudicia non possunt esse simplex qualitas, secus autem est de categorica.

**Urgetur:** Ideo hypothetica non est simplex qualitas, quia in ea est aliud & aliud iudicium, sed etiam in categorica est aliud & aliud; ergo neque categorica erit simplex qualitas. R. dist. ma. quia in ea est aliud & aliud iudicium formaliter, concedo ma. alio quocumque modo, seu tantum virtualiter, nego ma. similiter distinguo mi. In categorica est aliud & aliud, virtualiter, transeat, formaliter, nego ant. & consequentiam. Itaque licet in categorica propositione sint subiectum, praedicatum & copula, iudicium tamen consistit primario in copula, connotative postmodum respicit extrema, uno tamen eodemque actu, qui facit, quod sit simplex qualitas, imò ipse actus est illa simplex qualitas, nec hoc aliquid novum est, quod in plura uno actu tendere possit, quia non aequaliter tendit in utraque, in unionem enim copulae tendit directe, in extrema indirecte, & sic potest etiam tendere in opposita ut in his, *homo est lapis, homo non est lapis.*

**Quaeres,** Si propositio mentalis, vel iudicium est simplex qualitas, quomodo ergo potest secunda mentis operatio vocari compositio, vel divisio?

IX.

Ad hoc dubium varii varia respondent, mihi tamen videtur dicendum, iudicium, seu secundam mentis operationem non vocari compositiorem, propter compositio-

Quare secundam mentis operatio dicitur compositio.

nem, propter compositionem, vel divisionem obiectorum, quæ conjungit affirmando, & separat negando, quia intellectus divinus intelligit composita & divisa, & tamen non intelligit componendo & dividendo objecta sicut nos facimus; Quare etiam dicenda est aliquomodo composita ex parte ipsius actus, ita videlicet ex eo, quod in intellectu ponatur simul cum alio apprehensionis actu distincto, quem prærequirit. Et ratio est, quia hoc sufficit ut dicamur cognoscere verum complexum, componendo & dividendo; Et etiam quia hoc sufficit ad distinguendum intellectum nostrum ab intellectu divino in modo cognoscendi verum complexum, quia intellectus divinus non dependet ab actu alio aliquo præcedente, qui esset simplicis apprehensionis, sed per unum simplicem actum cognoscit prædicata, quæ alicui competunt. Quod autem secunda mentis operatio semel vocatur compositio, & semel divisio, hoc præcisè oritur ex ratione obiectorum, quia ex parte intellectus, sive affirmet, sive neget, semper adest compositioni judicando.

### QUÆSTIO IV.

*Quando causatur conceptus in audiente per compositionem prolatam, & pro quo instanti intelligatur vera?*

I.  
Questio hæc  
procedit de  
propositione  
vocali,

Quemadmodum præcedens questio procedebat de propositione mentali tantum, ita ista non habet locum in mentali, sed de vocali solum, unde questionis proximam partem sensus est: an in ultimo instanti prolationis totius propositionis, an verò in instanti prolationis copulæ verbalis, an verò in aliquo alio instanti causetur totalis & completus conceptus propositionis? dico notantèr totalis & completus, quia prolata quæcumque propositione, oratione, vel dictione, benè potest causari simplex conceptus ipsius dictionis, non tamen totius orationis, vel propositionis. Et de hæc materiâ fide & pulcherrimè tractat Scotus 4. d. 8. q. 2. & q. 6. n. 2. & totum hoc in gratiam hujus propositionis Sacramentalis: *Hoc est enim Corpus meum* unde ut clarior tota res evadat, Notandum, propositionem aliam esse practicam, aliam speculativam; practica est, quæ non solum significat, sed etiam causat suum significatum, quales propositiones sunt omnes formæ sacramentorum; speculativa propositio est, quæ non causat, sed tantum significat suum significatum, & hujusmodi sunt istæ: homo est animal rationale, viride est congregativum visus, album est visus disgregativum, & plures aliæ similes. Unde

II.  
Non habetur  
conceptus  
ante ultimam  
propositionem  
prolataem,

DICO I. Conceptus totalis & completus causatur per propositionem, vel orationem in audiente non habetur usque ad ultimum instans prolationis totius propositionis, vel orationis. Ita Doctor in 4. supra n. 14. & cum eo omnes Scotistæ, Conclusionem probat Scotus sic: *Quia, inquit, non habetur conceptus omnium partium orationis ante illud instans, ergò non habetur conceptus totius orationis ante illud instans, videlicet ante ultimum.* Confirmatur à simili, sicut conceptus formalis dictionis non habetur ante ultimum instans prolationis totius dictionis, ita etiam à pari dicendum est de

propositione, nam sicut partes dictionis non significant conceptum, nisi integra proferatur, ita etiam propositio non significabit suum conceptum, priusquam tota propositio finiatur, ergò.

Dices: Si propositio non causaret suum conceptum completum usque ad ultimum instans prolationis totius propositionis, sequeretur, quod causaret suum conceptum, quando non est, sed non potest causare suum conceptum, quando non est; ergò non causat in ultimo instanti prolationis totius probationis, sequela patet, quia in ultimo instanti propositio jam non est, probatur mi. quia ad agere præsupponitur esse; ergò si propositio non est, non potest causare sui conceptum. R. dist. ma. sequeretur, quod causaret sui conceptum, quando non est in se, concedo ma. quando non est in suo æquivalenti, nego ma. nam prolata quæcumque voce, causatur illius vocis species in phantasia, deinde intellectus in ultimo instanti per collationem suam causat conceptum illius, seu potius qualibet vox causat sui speciem in phantasia, seu sensu communi, & postea illa species producit aliam speciem, deinde intellectus mediante ipsa producit in se conceptum. Sed pro secunda parte Tituli

DICO 2. *Propositio non est vera pro instanti, vel tempore quo causatur conceptus ejus in audiente, sed ut sit vera in rigore sermonis, debet prædicatum inesse subjecto pro instanti prolationis copulæ, seu pro illo instanti vel tempore importato per copulam.* Ita Doctor supra n. 15. Et Probatur sic conclusio ab eodem: Si dicam, Deus creavit mundum, conceptus illius orationis causatur in ultimo instanti, tamen veritas illius, seu unio extremorum illorum intelligitur pro primo instanti temporis, non est, ergò idem dicere in quo instanti concipiatur oratio, & pro quo, quia concipitur in ultimo complexæ orationis, & concipitur pro illo, pro quo extrema uniantur in intellectu sive extra in re.

### Probatur etiam secunda pars.

Quia propositio non potest esse vera in rigore sermonis, nisi in aliquo instanti significato per aliquam partem, sed nihil aliud est in propositione, quod significaret instans vel tempus præter copulam verbalem, cujus proprium est significare tempus vel instans; ergò ut propositio in rigore sermonis sit vera, debet prædicatum inesse subjecto pro illo instanti vel tempore. Confirmatur, quia dum dico Deus creavit mundum, licet ista propositio sit vera in instanti probationis totius propositionis, tamen non intelligitur vera pro illo instanti, alias esset propositio de præsentis, sed pro instanti vel tempore præterito, nec est alia ratio hujus, nisi quod propositio debeat intelligi vera pro tempore significato per copulam. Dixi autem in rigore sermonis, quia multæ sunt propositiones veræ ex intentione proferentis vel usû communiter loquentium, quarum prædicata non intelliguntur unita esse subjecto pro aliquo instanti vel tempore prolationis, quæ proinde in rigore sermonis sunt falsæ, ut sunt dum quis dicit, ego taceo, ego dormio. Ex quibus collige, ad hoc, ut propositio sit vera ex intentione

ne proferentis vel usu communiter loquentium, sufficere, quod praedicatum inest subjecto pro aliquo instanti coexistenti alicui parti propositionis, imò quod pro aliquo tempore immediatè antecedente vel consequente, ut patet ex praedictis propositionibus, & in hoc sensu, non verò in rigore sermonis verificantur multae propositiones sacrae scripturae, verbi gratià, illud Christi: *Vado & venio ad vos*, cum tamen Dominus pro illo tempore nec abiret nec rediret.

**Arguitur.** Propositio vocalis non significat praedicatum inesse subjecto ante ultimum instans prolacionis totius propositionis ex conclusione superiori; ergò non significat praedicatum inesse subjecto pro instanti prolacionis copulae. R. negando consequentiam, quia ut adnotavi, aliud est significare tunc praedicatum inesse subjecto, & aliud significare pro tunc, ut patet in his: *Deus creavit mundum, Antichristus erit, & sic de aliis, &c.*

**Instatur.** Propositio pro eo instanti significat praedicatum inesse subjecto, pro quo componit praedicatum cum subjecto, sed hoc facit pro ultimo instanti totius propositionis prolatae. R. negando mi. ut patet in propositionibus de praeterito & futuro

**Urgetur.** Potest iudicium mentale de praesenti esse verum, licet non praesupponat praedicatum inesse subjecto, ergò à paritate iudicium seu propositio vocalis. Probatur ant. dum dico in mente paries est, intellectus, illud iudicium est verum, licet ante ipsum paries non fuerit intellectus, saltem iudicativè, ergò. Probatur ant. quia implicat me habere actum iudicium de pariete, & parietem non esse intellectum. R. concedo primum ant. & nego primam consequentiam, disparitas est, quia iudicium mentale de praesenti potest ponere concomitantè aliquid in objecto & simul illud de objecto affirmare, vocale verò non, quia vox nihil potest ponere in objecto, sed tantum significat illud quod per intellectum vel voluntatem in objecto ponitur.

**Arguitur secundo principaliter:** Ex Conclusionem propositam sequeretur hanc propositionem Eucharisticam in rigore sermonis, *Hoc Est enim corpus meum*, esse falsam, & consequenter simpliciter falsam, sed hoc in fidetatum non est, ergò. Probatur sequela quia praedicatum non inest subjecto pro instanti prolacionis copulae, ergò. Probatur ant. quia pro instanti pro quo sacerdos profert *Est* praedicatum, non inest subjecto, quia tunc non inest corpus Christi sub speciebus ut patet. Ad hoc argumentum varii varia respondent, Suarez dicit: illam propositionem practicam in rigore sermonis esse veram, quia inquit ad veritatem propositionis, cuius copula est praesentis temporis, sufficit, quod res per ipsam significata in aliquo tempore vel instanti prolacionis totius propositionis habeat se eò modò, quò per propositionem significatur se habere. Vasquez verò dicit: hanc propositionem in rigore sermonis esse veram, quia ad hoc ut aliqua propositio de praesenti sit vera, sufficit,

etiamsi res paulò ante, vel paulò post prolacionem ita se habeat ut significatur se habere. Sed Contra has responsiones

**DICO 3.** Propositio etiam practica de praesenti, ut sit de rigore sermonis vera, requirit ut inter subjectum & praedicatum significetur esse unio pro aliquo instanti prolacionis. Hæc est de mente Scoti, qui Conclusionem superiorem universalitè tenet non excipiens ullam propositionem, quia etiam in ordine ad hanc propositionem practicam, *Hoc Est enim corpus meum*, tradidit istam regulam universalem, ergò etiam intellexit de eo conclusionem.

**Probatur ergò Conclusio,** tum ex dictis pro praecedente conclusione, tum etiam, quia verbum praesentis temporis significat tempus praesens, ergò extrema pro illo uniri debent; ant. probatur, quia significat tempus sibi coexistens, sed illud est tempus praesens, ergò. Probatur minor, quia non est praeteritum aut futurum, quia alias qualibet propositio esset de praeterito vel de futuro, & nulla de praesenti esset vera, quod est absurdissimum.

**Dices:** Cum Vasquez sufficere, quòd tempus illud sit moralitè praesens verbo, seu quòd existat paulò ante, vel paulò post totam propositionem. Vel saltem ut vult Suarez sufficere & requiri, quòd res significata seu unio existat pro aliquo instanti prolacionis totius propositionis etiam initiativo, vel terminativo, licet non praesens pro aliquo instanti ipsius verbi. Sed Contra, Verbum praesentis temporis distinguitur in eo à verbis praeteriti & futuri, quòd, quantum est ex rigore sermonis Logici, connotet tempus praesens ipsi verbo, illa verò minimè, sed tempus illud non est praesens ipsi verbo nisi ipso coexistat, ergò, probatur ma. ut supra: probatur etiam minor. Quia tempus, quod non coexistit ipsi verbo vel est praeteritum vel futurum respectu ipsius; ergò verbum significans tale tempus non est praesentis, sed vel praeteriti vel futuri temporis, probatur ant. quia quod nunc non habet, sed post nunc habebit existentiam, est futurum, & quod non habet nunc, & ante habuit, est praeteritum, ergò. Sed Contra secundo &

**Probatur Conclusio denuò,** quia ex oppositè sententià sequeretur: Quòd hæc propositiones *Hoc est corpus meum & hoc est panis*, eodem praesens tempore & supra eandem materiam prolatae essent simul verae, sed hoc est absurdum, ergò. Probatur ma. quia tunc prima propositio esset vera, ut fatentur adversarii, & probo quòd etiam secunda sit vera, quia ad veritatem propositionis de praesenti, juxta Adversarios, sufficit, quòd res significata seu unio extremorum in aliquo instanti prolacionis totius propositionis haberent se eodem modò, quò per hanc propositionem significatur, imò juxta Vasquez paulò ante, vel post, sed in omni instanti & tempore praecedente ultimum instans prolacionis res significata per hanc *hoc est panis*, habet se eò modò, quò per hanc significatur, quia panis non definit esse ibi usque ad ultimum instans prolacionis totius formæ juxta omnes; ergò hæc propositio, *hæc est pa-*

VII:  
Ut si fuerit  
debet signifi-  
cari inter  
praed & sub-  
ject. esse  
rationem.

VIII.

IX.

nia erit vera, & consequenter utraq; erit simul vera, si à diversis utraq; proferatur.

### X. Contra tertio & Confirmatur

Conclusio. Sequeretur, omnes propositiones contradictorias in materia contingendi esse simul veras, verbi gratia, *Petrus currit, Petrus non currit* sed hoc est absurdum, ergò. Probatur ma. & suppono, quòd Joannes proferat hanc propositionem, *Petrus currit*, & Paulus proferat hanc, *Petrus non currit*, tunc sic ad veritatem utriusq; propositionis sufficit, quòd res se habeat, sicuti dicitur se habere pro aliquo instanti prolationis totius propositionis, sive primò, sive secundò, vel immediatè ante, vel immediatè post, ergò ad veritatem affirmativæ sufficit, quòd res pro primo instanti vel tempore prolationis se habeat ut significatur, & ad veritatem negativæ, quòd pro ultimo instanti se habeat ut significatur; ergò si Petrus currit pro primo instanti quo profertur affirmativa, vel paulò ante hæc erit vera *Petrus currit*, & si non currat pro ultimo instanti vel tempore prolationis, vel paulò post, negativa propositio simul prolata erit vera in rigore sermonis, ergò utraq; erit vera de rigore sermonis, quod est absurdum.

**Confirmatur secundò Theologicè:** Quia si verbum *Est* in hæc propositione, *Hoc est corpus meum*, non significaret ex vi sermonis extrema uniri pro aliquo instanti suæ prolationis, sed pro ultimo totius formæ, ut volunt adversarii, sequeretur, quòd possit quis validè consecrare, quando non haberet panem præsentem usq; ad ultimum instans prolationis formæ, quod est contra ipsos Adversarios & omnes, probatur, quia juxta adversarios ex verbis formæ colligitur, quòd panis sit præsens, sed nullum est verbum, quod denotet quòd panis sit præsens usq; ad ultimum instans formæ juxta ipsos; ergò tunc est valida consecratio, quia sufficit, quòd panis sit præsens pro instanti, quo forma significat ipsum esse præsentem. His igitur præmissis, nunc

**Respondeo ad secundum** argumentum principale contra præcedentem conclusionem negando sequelam, nempe quòd futura sit absolutè falsa illa forma Eucharistica, quia illa propositio non est instituta secundum rigorem Logicum sermonis, sed secundum communem modum loquendi inter homines usitatum, quomodo verè loquitur, Sartor conficiens vestem *hanc esse vestem Petri*, licet nondum sit vestis, sed primò faciat eam, & pictor dum sub rudiori minervâ & crasiori penicillo ordinat & molitur imaginem Cæsaris verè dicit: *hæc est imago Cæsaris*, licet primò fiat, sic quoque verè Mecœnas verum dicit, dum Clienti porrigit torquem auream, dono tibi hoc munusculum, licet cliens non intelligat sibi deberi munus ante prolationem totius propositionis, ita ut si post verbum *dono* extasim pateretur, vel aliò quocunque modò à loquelâ impediretur, vel liberè cessaret, nemo intelligeret donationem factam, licet ipsa donatio significaretur per verbum *dono*. Unde præclare Doctor rem totam hanc examinat supra tredecim conclusionibus, & tandem sic concludit, Verba ejus

refero ut sint gratiores aquæ ex ipso fonte hauritæ, *Propter hoc dico*, inquit subtilis, quòd tota hæc disputatio in tredecim Conclusionibus & earum probationibus, vel improbationibus subtilis est & Logica de veritate hujus propositionis (nempe hoc est corpus meum) salvanda, sed Theologo sufficit, quòd illa oratio, ut est tale signum sensibile institutum a Deo est Dei instrumentum ad consecrationem illam, quæ sequitur in ultimo instanti, ita quòd Deus assistit sibi tanquam cuidam dispositioni prævie efficaci, ut ea completa causet talem effectum invisibilem, non autem ipsa veritas præcedit ut talis dispositio actionem Dei, quia est ut signum sensibile in fieri & per consequens in tempore non intelligitur habere suam propriam veritatem, quando etiam habet eam, illa veritas sequitur ordine naturæ actionem Dei: Brevis ergò diceret Theologus, quòd qualitercung, salvet Logicus istam propositionem esse veram, saltem non est oratio sacramentalis ut vera, sed ut tale signum sensibile præcedens sorte tempore, & ad minus naturaliter suam veritatem, sicut dispositio continua præcedit ultimum instans & conditionem conjungit, in ultimo instanti, causa etiam præcedit conditionem causati. Est quantitas tunc qualis aut ut vera aut falsa est propositio consecratoria? (consecratoria) Dico, quòd neg, sic, neg, sic, sed tantum ut est propositio neutra & prior naturaliter & sorte tempore sua veritate, ista autem prioritas fundatur sic, quia omne fundamentum est prius naturaliter relatione sua accidentali.

## QUÆSTIO V.

*An una Propositio sit verior altera?*

**Dupliciter** Veritas considerari potest, vel secundum ipsam formalitatem seu ipsius conformitatem, vel pro concomitantibus ipsam, videlicet necessitatem, contingentiam majorem vel minorem perfectionem entitativam, & secundum hanc considerationem nulla est difficultas, quin una possit esse verior alterâ, nam hæc *Deus existit* est magis necessaria & vera, quam ista *Petrus existit*, & quælibet cognitio Angeli in entitate est perfectior quam hominis. Quæstio ergò procedit de veritate in primâ consideratione tam quoad extensionem seu in ordine ad numerum prædicatorum, quam quoad intentionem, ita quòd actus representet prout est representabile, an videlicet sic possit una propositio esse verior alterâ. Circa quam materiam duplex est sententia: Una est negativa, altera affirmativa, cum quâ ad quæstionem

**Dico:** Tam falsitas quam veritas formaliter sumpta magis & minus extensive & intensive suscipere possunt ratione extremorum. Hæc est Maltrius & secunda pars est Contra Arriagam, Amicum, Oviedo, qui primam tamen concedunt.

**Probatur ergò de falsitate,** quia falsius est dicere, quòd homo sit lapis, quam quòd homo sit equus, quia prima remonet ab homine & rationalitatem & animalitatem, secunda verò solam rationalitatem, ergò prima majorem habet difformitatem quam altera, consequenter est falsior, quod Confirmatur ex Aristotele 4. Met. 4. ubi dicit non eodem modo errare eum, qui putat quatuor esse decem quam qui centum.

Dices:

II. **Dices:** Fallitas formalitèr consistit in recessu à veritate, sed qualibet fallitas recedit à veritate, ergò qualibet propositio falsa erit æqualitèr falsa. *R.* negando ma. quia ut supra dixi fallitas formalitèr dicit relationem difformitatis ad objectum, non solum autem carentiam veritatis, ideòq; juxta hanc relationem potest esse actus magis vel minùs difformis objecto sicut unum album potest esse magis vel minùs dissimile alteri albo.

IV. **Probatur Conclusio etiam de Veritate** quoad intensiorem: Similitudo suscipit magis & minùs, extrema enim quæ sunt alba, ut octo sunt magis sibi similia quàm extrema, quorum unum est album ut quatuor, & alterum album ut octo, ergò potest suscipere magis & minùs, consequenter una propositio erit verior altera. **Confirmatur:** Quia una propositio potest esse conformior illi objecto de quo est, quàm altera, ergò potest esse verior quàm altera, cum veritas sit conformitas; probatur aut. quia possunt dividuæ propositiones quarum una clarè distinctèq; repræsentet objectum sicuti est repræsentabile, altera verò obscure, & non sicuti est repræsentabile, sed illa quæ distinctè & clarè repræsentat, erit magis conformis quàm altera, quæ tantum repræsentat obscure.

**Probatur etiam de extensione:** Seu quoad numerum prædicatorum: Quia si aliquid objectum in se habeat plura prædicata, & actus unus repræsentet tantum unum prædicatum, alter verò omnia, certum est, quòd tunc is erit conformior objecto, qui omnia repræsentat, quàm qui unum tantum, ergò. **Sed**

V. **Arguitur,** Conformitas cujusq; actus consistit in eo, quòd existat totum quod per actum repræsentatur, ergò eò ipsò quòd existat totum, quod per actum repræsentatur, actus habebit summam conformitatem, quam habere potest quicumque actus. *R.* negando consequentiam, quamvis enim actus habeat conformitatem cum objecto, quod per actum repræsentatur, potest tamen plus esse quod per actum repræsentatur, & consequenter actus ille, qui totum repræsentabit, quòd est in objecto, erit conformior, quàm ille, qui non repræsentabit totum, sic actus quòd cognosco hominem esse animal rationale, est conformior objecto, quàm actus quòd cognosco illum esse animal.

**Instatur:** Si ego dicam ad Petrum esse beatum, tu verò dicas Divos Petrum & Paulum esse beatos, uterque actus æque conformis est objecto suo, licet tuus conformetur pluribus, ergò actus ex eo quòd plura repræsentet non est magis verus. *R.* dist. consequens ex eo, quòd plura repræsentet, quæ se tenent ex parte ejusdem objecti, nego consequentiam, qui se tenent ex parte diversorum objectorum, concedo consequentiam. In præsentem autem casu illa plura repræsentatum, se tenent ex parte ejusdem objecti, nam beatitudo D. Pauli non tenet se ex parte beatitudinis Divi Petri.

**Et quamvis hæc doctrina bona sit,** mihi tamen non videtur sufficientèr convin-

cere intentum scilicet, quòd una propositio pro formali ratione veritatis sit verior altera, nam argumenta tantum procedunt de objectis, & sic tantum pro fundamentali veritate, unde existimo ad titulum quaestionis Respondendum cum distinctione: Unam propositionem nec esse veriorè, nec falsiorè altera pro formali, bene tamen pro fundamentali, & hoc posterius patet ex probationibus datis; prius verò sic demonstrò: Omnis propositio, vel est conformis suo objecto, vel non est si non, ergò est absolutè falsa, si sic, ergò est absolutè & totalitèr vera; probatur hæc consequentia, conformitas veritatis est relatio, sed omnis relatio est indivisibilis intrinsecè & formalitèr, ergò etiam ista, & consequenter una non est verior quàm altera.

### QUÆSTIO VI.

*Utrum eadem propositio possit transire de veram falsam?*

**Notandum I.** Antequam quidquam resolvam, sermonem in hac quaestione non esse de propositione vocali, quia cum hæc sit essentialitèr transiens, & statim ut profertur transit, ideò eadem manens non potest esse simul vera, & simul vel successivè falsa, nec est sermo de propositionibus necessariis, quæ circa Deum aut essentias rerum, vel alia hujusmodi versantur, quia cum harum propositionum objecta sint immutabilia & invariabilia, etiam propositiones, quæ circa illa versantur, sunt immutabiles, quia propositionum veritas & necessitas ex veritate & necessitate objecti desumitur, adeòque nec veritas mutari potest; nec deniq; est sermo de propositionibus impossibilibus propter necessariam repugnantiam terminorum, adeòque nunquam vere fieri possunt, sed necessariò semper falsæ manent. Quare controversia solummodò est de propositionibus in materiâ contingente, in quâ difficultate omninò liberi sunt illi, qui asserunt veritatem & falsitatem esse de essentiâ propositionis, nam si veritas est de essentiâ ejus, non plus mutari potest in falsam, quàm quòd homo mutetur in equum, vel leonem, aut philomelam, sed quia supra cum communiori docui veritatem & falsitatem nequaquam ad essentiam pertinere, ideò hic nodus quoq; mihi solvendus est, pro quo

I. *Sensus quaestionis proponitur.*

**Notandum 2.** Propositionem aliquam de contingenti tripliciter spectari posse, & considerari. Hanc verbi gratiâ, *Petrum currit*, vel ut significet eum currere pro toto aliquo, quod mente, vel horâ, vel ut denotetur quòd solum currat pro aliquâ parte illius quadrantis, vel horæ indeterminatè, vel denique ut significet eum currere in primâ, vel ultimâ parte illius quadrantis, vel horæ, & hoc explicitè exprimi potest dicendo: *Petrus currit in hoc instanti*, aut planè omitti & relinqui sine omni determinatione, ut si illa particula *in hoc instanti* non apponatur. Circa quam materiam duplex est sententia è diametro sibi opposita: Prima asserit eandem propositionem contingentem, sive illa determinet sibi aliquod certum instans, vel tempus sive non, nequaquam posse transire

II. *Tripletèr potest considerari propositio contingens.*

transire de verâ in falsam. Ita Averſa, Smifing, Cavellus, Pontius, Hurtadus, Arriaga, Comptonius. Secunda e contra affirmat eandem numero propositionem posse transire & mutari de verâ in falsam. Ita Maſtrius & Bellutus, Suarez, Amicus, Rubius &c. Quia tamen ſententia negans conformior eſt addiſta q.4. idè

III.  
Eadem potius  
eſſe vera, vel  
falſa.

DICO I. *Propoſitio contingens de præterito, vel de præſenti eadem numero manens ab initio potuit eſſe vera vel falſa.* Hæc eſt communis in re.

Probatur: Si aliqua propoſitio eſſet, quæ non potuiſſet fieri vera vel falſa, maxime eſſet illa, quæ eſt de præterito, ſed propoſitio de præterito adhuc eſt contingens; ergo etiam de verâ falſa fieri potuerat, probatur ma. quia nulla alia eſt quæ haberet majorem connexionem ad immutabilitatem, abſolute enim fieri nequit, ut illud quod dicitur præteritum quod non fuerit; probatur mi. quia hæc eſt differentia inter propoſitionem neceſſariam & contingentem, quòd illa ita ex naturâ vera ſit, ut nullo modo fieri falſa poſſit, & e contra, hæc verò quod ſit indifferens ad veritatem & falſitatem, ergo.

IV.  
De præſenti  
non poteſt  
transire de  
verâ in falſam.

DICO 2. *Propoſitio contingens de præſenti quæ ſibi certum tempus non determinat, non poteſt transire de verâ in falſam.* Hæc eſt Authorum primæ ſententiæ &

Probatur cum Pontio, quia quando aliquis affirmat, quòd Petrus currat vel intelligit, quòd currat pro toto aliquo determinato tempore, vel intelligit quòd currat, pro aliqua parte, determinati temporis indeterminate, videlicet pro primâ parte, vel ultimâ aut mediâ horæ vel instantis, ſed quocunq; modo intelligit, nunquam poteſt fieri, ut propoſitio, quæ ſemel fuit vera, ſit falſa aut e contra; ergo major patet, quia neceſſariò uno ex illis duobus modis propoſitionem illam intelligere debet. Probatur mi. quia ſi intelligit quòd currat, pro toto aliquo tempore, & ille currat, illo tempore propoſitio neceſſariò erit vera; quòd ſi verò non currat, toto illo tempore propoſitio neceſſariò erit falſa, quamvis curreret pro parte illius temporis: Quòd ſi verò intelligit, Petrum currere pro aliqua parte determinati temporis indeterminate, ſi pro aliqua parte iſtius temporis currat, propoſitio erit vera, ſive pro aliis partibus currat, ſive non, ſi autem pro nullâ parte curreret, propoſitio erit neceſſariò falſa. Confirmatur hoc primo, ſi aliquis diceret: Aliquis canis latrat, ſi aliquis unus tantum ex omnibus omnino canibus latraret, propoſitio eſſet vera, quia ut vera ſit, ſufficit unius tantum canis latratus, quia indeterminate eum ſignificat, nec magis unum quam alium canem petit præſentare, ſi verò nullus latraret, propoſitio eſſet falſa; ergo eodem modo, ſi Petrus pro aliqua parte tantum curreret, jam eſſet vera propoſitio, ſi verò pro nulla, falſa, quia quemadmodum ſe habet latratus canis reſpectu omnium individuorum ſpeciei caninæ, ita ſe habet Petri curſus reſpectu diverſarum temporis differentiarum, unde ſicuti ſi unus tantum canis latraret, propoſitio eſſet vera, ita ſi Petrus pro unâ tantum parte curreret, propo-

ſitio erit vera. Confirmatur ſecundò: Quia actus, qui determinat intellectum ad cognoscendum, quòd aliquis ſedeat in loco A, non poteſt determinare illum quòd ſedeat in loco B, ergo actus quo determinatur intellectus, ad cognoscendum quòd Petrus currat in uno tempore, non poteſt determinare me, vel quemcunq; alium, ad cognoscendum, quòd currat in alio tempore, ſed hoc eſſet falſum in ſententiâ oppoſitâ; ergo. Sed Pro Contra ſententiâ

Arguitur In contra. Omne accidens eſt ſeparabile à ſubjecto, ſed veritas eſt accidens; ergo eſt ſeparabilis à ſubjecto & conſequentèr, quæ vera eſt, falſa fieri poteſt: patet ma. probatur mi. quia eadem propoſitio, quæ modo vera eſt, falſa eſſe potuit; ergo. Sed R. diſtinguendo ma. Omne accidens eſt ſeparabile à ſubjecto, ſpecificativè loquendo concedo ma. reduplicativè, nego ma. & conceſſâ mi. diſtinguo ſimilitèr conſequentis. Ita; licè veritas ſit accidens, propoſitionis & conſequentèr ab eâ ſeparabilis, in quantum ſcilicet poterat non ineſſe, tamen non eſt ſeparabilis ab eâ, ſupponendo quòd habeat actualem unionem cum ſubjecto

Inſtatur. Poteſt idem accidens materiale, verbi gratiâ, albedo non obſtante, quòd actualitèr inſit parieti, verbi gratiâ, ſeparari ab eo; ergo etiam eadem veritas, quæ modo in eſt propoſitioni ſeparari ab eâ & conſequentèr actualis, unio non facit, quòd minus de verâ in falſam transire poſſit, patet ant. quia ſi mutaretur paries, vel deſtrueretur, etiam deſineret eſſe ibi albedo. Probatur prima conſequentia, quia poteſt ſic etiam ſubjectum mutari; ergo, probatur ant. quia ſi ponatur caſus, quòd Petrus currat, idq; mente teneatur & continetur, per quadrantem horæ ubi jam Petrus ceſſavit, ille actus tunc erit falſus, quia jam eſt mutatum objectum; ergo. Sed R. negando conſequentiam & parigatem, quia aliud eſt eſſe Phyſicè, aliud Phyſicum eſſe alicuius, intentionalitèr ſignificare veluti imago & ſimilitudo, unde ſi bene attendatur, argumentum facit pro conſequentia, nam ſicut verum eſt, quòd albedo quæ ineſt, vel inſuit parieti, nullatenus poteſt fieri ut non inſit, vel inſuerit pro illo tempore, quo ineſt aut inſuit, ita etiam eſt de propoſitione, quæ non ſignificat aliquid ineſſe quomodocunq; ſed cum verbo quod verbum ſecundum Ariſtotelem ſignificat ſemper aliquam certam temporis differentiam, hinc nego ant. & ad ejuſ probationem dico, tunc non eſt amplius idem objectum ſed aliud, ſcilicet Petrus ſedens vel ſtans, vel potius principaliori ſolutioni inhærendo dictum illum non futurum falſum, quia ſignificat Petrum currere, pro illo instante & tempore quo currabat, eſt tunc ſuit verus, ſemper manebit verus, quia non ſignificabit aliam temporis differentiam.

Urgetur. Propoſitio, verbi gratiâ, quæ dicit, quòd Petrus currat in primâ parte temporis determinati, ſi continetur non poteſt præſentare illam primam partem; ergo non manebit vera nec ſignificabit illam primam partem, probatur ant. quia ſi ſignificaret illam primam partem, eadem propoſitio eſſet de præſenti

praesenti & de praeterito & eadem propositio quae diceret: *Petrus currit*, diceret postea: *Petrus cucurrit*, quod est absurdum, ergo. R. negando ant. cujus probationem dist. esset de praesenti & de praeterito per se nego ant. per accidens transeat, nec in hoc nulla est inconvenientia. Unde per accidens est Verbo, ut quod repraesentat, sit praeteritum, quia ipsi & per ipsum propositioni intrinsecum & essentielle tantum est repraesentare cursum unitum Petrum pro illo tempore, quo fuit unitus, quod tempus, quia praeteritum est, per accidens est ad propositionem significantem actualem unionem, quae pro illa temporis differentia insuit.

**Replicatur.** In hac propositione: *Modo incipio loqui*, per se dicitur tempus praesens & praeteritum; ergo nulla solutio: probatur ant. quia ipsum verbum est praesentis temporis & significat illud quod jam transit, scilicet prolationem dictionis *ly modo*; ergo per se dicit tempus praesens & praeteritum. R. negando ant. cum probationis consequentia. Quia illud verbum, vel denotat, quod incipiat quis loqui pro illo instanti, quo profert *to modo*, vel pro tempore, quo totam propositionem profert, si primum, semper erit vera & pro illo instanti significabit, si secundum, tunc semper erit falsa etiam in primo instanti, qui tunc etiam significabit, quod incipiat loqui pro tota propositione profert, quod tamen falsum est, qui actum profert *to loqui* non incipit, sed finit. Et per has responsiones solvi possunt plura alia argumenta, quae ad idem coincidunt, ut si Judaeus quadrante ante Nativitatem Christi nascetur dixisset: *Melchias continuando illam propositionem per mediam horam*, quod tunc in primo quadrante erat vera, in posteriori falsa, similiter si quis post mediam noctem evigilans diceret: *medias noctis orietur luna &c.* quia istae & omnes similes propositiones simpliciter verae sunt, & tales manent, quia tam prima quam secunda dicit: quod hoc & illud fiet, pro illo instanti pro quo futurum est, & sic etiam posito effectu adhuc manet semper vera, quia non significat aliud tempus, vel instans, & hoc clare exemplificatur exemplo, de eo qui iter nonnullum navi conficit in Oceano, vel Flavio, dicatque nautis, ut unum tantum milliare conficiant pro principio, ita ut eo confecto jaceant anchoram, qui si obdormiat & procellae, vel ventorum vis navim portent contra voluntatem Nautarum ad tria milliaria, qui experge factus & ignorans, quid eis acciderit, diceret hic fumus uno milliari ab illo & illo loco, verbi gratia, ab Ancona, propositio illa vera est, quia revera non est plus inter terminos illos intentionales quos apprehendit, nam non dicit in quocumque loco esse unum milliare ab Ancona, sed ab illo loco, in quo putat se esse, nam si primum assereret & falsum & stultum esset. Sed

**Dico 3.** *Propositio quae sibi determinat certum aliquod instans ad significandum, non potest transire de vera in falsam.* Hae Conclusio quoque est probabilis, quod sic ostendo. Implicat quod semel pro aliquo instanti determinato existit aut exiturum est pro illo non existere, aliàs simul existeret & non existeret quod implicat  
F. Amandi Hermann Logica.

pro eodem instanti, ergo implicat, quod Propositio hae, verbi gratia, *Petrus currit pro instanti A*, quae semel fuit vera, immutari possit in falsam, aut e contra; patet consequentia, quia repugnat mutari de vera in falsam sine objecti mutatione, hae autem est impossibilis pro instanti determinato, quia idem objectum pro eodem instanti determinato nequit esse & non esse simul; ergo nec propositio mutari potest.

**Dices:** Propositio quae dicit: *Petrus currit pro in Instanti A*, scilicet & cursum esse conjunctum cum Petro pro illo instanti, & etiam illud instans esse coexistens propositioni; unde licet semper repraesentet cursum esse conjunctum cum Petro in illo instanti, pro quo etiam fuit vera, nihilominus in sequente instanti est falsa, quia illud instans non conjungitur propositioni in secundo instanti, quod tamen affirmat propositio. R. quod eodem modo sit loquendum de conjunctione cursus cum Petro, ac de conjunctione instantis cum propositione, unde sicut prima conjunctio non dicit aliam quam pro illo instante praecise, ita etiam propositio dicit tantum illud solum instans *A* esse sibi conjunctum, & tunc duret propositio, quam diu velit semper erit vera, quia aliud non dicit, quam quod illud instans sibi pro primo instante coexistat, quod semper verum est, & Deus videt ita semper esse, nempe instans illud propositioni huic coexistere pro illo instanti, quo primo eliciebatur & sic semper erit vera, quia semper erit conformis objecto. Quando autem contra hanc, vel praecedentem Conclusionem objicitur autoritas Aristotelis, vel Doctoris subtilis respondendum est, quod utriusque mens fuerit dubia, nam quando Aristotelis in cap. de Substantia & 9. Met. l. 22. dicit: quod eadem oratio falsa vera esse videtur, expressè dubitantis in modum loquitur; unde non dicit, quod transeat de vera in falsam; sed apparere hoc, quare potius tales dicendi sunt falli pro illo tempore alio, quam quod propositio mutetur, nam ut ipse Aristoteles ait ibidem, si quisquam quempiam opinatur sedere si surgat, ille falsò opinabitur &c. Sed

**Quaeres:** An unus idemque numero actus possit esse simul verus & simul falsus? R. affirmative respectu diversorum objectorum, negative respectu unius ejusdemque objecti. Patet secunda pars ex dictis supra, quia implicat quod idem objectum sit & non sit pro eodem instante & tempore; ergo etiam implicat etiam quod idem actus sit conformis & difformis pro eodem instanti; quare probatur prima pars. Falsitas & veritas alicujus propositionis desumitur & est conformitas, vel difformitas cum objecto, sed potest aliquis actus propositionis esse simul conformis & difformis objecto; ergo poterit etiam esse simul verus & falsus, probatur mi. Potest idem actus quasi disparatè ferri in duo, vel plura objecta hoc modo, quod unum sit conforme, alterum difforme, verbi gratia, *Petrus currit & Paulus loquitur*, sed si Petrus sedeat & Paulus loquatur erit conformis & difformis simul; ergo etiam actus simul verus & simul falsus. Sed

VII.

VIII.

Idem actus potest esse simul verus & falsus.

Oo

Dices:

IX.

Dices: Conformitas consistit in indivisibili; ergo si actus est conformis, non potest esse difformis, quia tunc jam divideretur in plura. *Ita* dist. consequens non potest esse conformis respectu ejusdem objecti concedo, respectu diverforum, nego consequentiam. Ita; hic actus, quia diversimodè fertur in illa duo objecta disparata propter diversitatem tendendi, potest esse simul conformis uni & difformis alteri, & hoc non involvere aliquid implicatorium, patet inde, quia eadem quantitas ulnaris est æqualis alteri quantitati ulnari, & inæqualis palmo ac decem ulnarum, cum tamen etiam æqualitas consistat in indivisibili, sic ergo unum & idem respectu diverforum potest esse æquale & inæquale, ita eadem propositio respectu diverforum potest esse conformis & difformis.

QUÆSTIO VII.

Utrum Propositio de futuro contingente sit determinatè vera vel falsa?

I.

Hæc quæstio non est absolutè juris Philosophorum, cum involvat præscientiã Dei ad omnes actus causatum liberarum, quã suppositã tanquam infallibili & immutabili videtur periclitari humana libertas, pro quã salvanda & tuenda cum præsentia, & decretis divinis non modò Theologi, sed & Sancti Patres gravissimè defudant, quibus proinde videtur relinquenda hujus difficultatis discussio, attamen quia Aristoteles de hac materia hic egit, & quia propositiones in se etiam Logicè considerari possunt, non erit falcem mittere in messem alienam, si de ea cum communi hic tractavero. Pro quã materia dilucidanda

II.

Contingentia variè sumi potest.

Notandum primò: Contingens variè posse sumi, nam primò accipitur pro eo, quod rarò evenit, ut inventio thesauri ex fossione; secundò pro effectibus possibilibus frequenter fieri solitis, ut hominem actualitè ridere, sed in his acceptionib; non facessit nobis negotium quæstio; tertio sumitur contingens pro eo, quod ex se est indeterminatum ad esse & ad non esse, ad facere & non facere, & de tali contingente triplex formari potest propositio, una de præsentia, quando videlicet enuntiatur hoc determinato tempore prædicatum inesse subiecto; altera est de præterito cujus prædicatum enuntiatur fuisse in subiecto, pro tempore illo quod transit, & has propositiones esse determinatè veras, vel determinatè falsas, dubium esse non potest, & earum contingentia in hoc consistit, quod antequam sint, vel fuerint poterant esse, vel non esse: tertia verò propositio est de futuro contingente, verbi gratiã, Petrus ambulabit, Petrus studebit, cujus propositionis contingentia in hoc consistit, quod possit esse, vel non esse antequam fiat, & etiam dum actu fit non necessariò, sed contingentè fit

III.

Contingentia non habent determinatam veritatem ex suis terminis.

Notandum secundò: Futura contingentia non habere determinatam veritatem ex propriis terminis, quia alioquin non essent contingentia, sed necessaria sicut sunt propositiones æternæ veritatis, quæ tales sunt ex natura suorum terminorum, veritates verò de futuris

contingentibus formate sunt omninò indeterminate & indifferentes, ita ut intellectus divinus virtute suæ essentiæ solum moveatur sub disjunctione ad illas attingendas scilicet hoc fore, vel non fore, ut docet Scotus quodl. 14. determinata autem veritas & scibilitas de existentia actuali, quam enuntiant de suis extremis cum omnibus circumstantiis determinatis, verbi gratiã, finis, temporis, loci, &c. solum eis convenire potest ab aliqua causa extrinseca conjungente, vel disjuncte earum extrema, quæ causa in quantum non necessariò extrema illa conjungit, est præcisa ratio, ut prædictæ veritates contingentè dicantur: hinc

IV. Notandum tertio: Causam à quâ

determinantur propositiones contingentes ad suam determinatam veritatem sub duplici consideratione spectari posse. Primò sic, ut causa à quâ producitur aliquid, ita necessitetur ad ejus productionem, ut non possit non ponere suum effectum, sicut contingit in omnibus causis naturalibus. Secundò ita ut effectus ponatur infallibilitè non tamen necessariò, quin oppositum fieri possit, & tales sunt propositiones contradictoriæ, verbi gratiã, Petrus studebit, Petrus non studebit &c. quarum una erit infallibilitè vera non tamen necessariò. Sed iterum

V. Notandum quarto: Duplicem,

prout huc spectat, posse considerari necessitatem, una vocatur antecedens, & altera vocatur consequens; necessitas antecedens est, quæ oritur ex aliquo tenente se ex parte actus primi respectu actus secundi, qui dicitur necessarius, seu necessitas, quæ oritur ex causa: necessitas consequens est, quæ non oritur ex aliquo præcedente neq; tenente se ex parte actus primi, seu ex parte cause, sed necessitas quæ oritur ex ipso actu secundo, seu ex ipsa actione ipsòve effectu, & hæc necessitas non opponitur cum libertate, quia hæc communis est cuicumq; actui quantumvis libero, quilibet enim actus liber ex suppositione, quòd fit, non potest non esse, & suppositã illius existentia non potest non existere, juxta illud commune dictum: omne quòd est, quando est, necesse est esse; necessitas verò antecedens liberum arbitrium destruit, quia non relinquit principium indifferens ad operandum & non operandum. Circa hanc materiam aliqui Antiqui Philosophi nomine Stoici, inter quos fuit Chrysippus, ut refert Cicero de fato, existimabant omnes effectus esse necessarios & nullos fieri contingentè, hujus quoq; opinionis fuisse videtur Virgilius, ut patet ex Æneidos hoc versu:

Terna fata trahunt ne cepta relinquere possis,

& Lucanus qui ait, quò tibi fervor abit, quò fiducia fati. Alii contra contingentiam in rebus creatis asserbant, negabant tamen, quòd Deus sit illorum præcius, seu quòd illa cognosceret & hujus stultitiæ Patronus singularis fuit Marcus Tullius Cicero libro de natura Deorum & plures alii contra quos D. Augustinus Civit. 5. invehitur dicens: ut homines facerent liberos, fecerunt sacrilegos & verè sic, quia ut suam servarent libertatem, negarunt omniscientiam Dei, quòd revera impium est & sacrilegum.

legum. Et huius Opinionis fuisse etiam multi Aristotelem inculpant, non ego tamen, quia quando negavit propositionibus de futuro contingenti determinatam veritatem per hoc tantum voluit, quod non haberent eam ante præscientiam Dei, ut infra dicam, seu quoad nos, aut quod non naturâ suâ & intrinsicè necessariam habeant connexionem prædicati cum subiecto, non verò quod non sint determinatè ab extrinseco, quatenus nempe ab æterno visa sunt futura vel non futura. Alii tandem Christianè & piè admittunt contingentiam in rerum futuritione, & Deum ipsum quoq; ea præcognoscere & eam præcognitionem tamen non officere contingentia & libertati humanæ, ita omnes Theologi & Philosophi Catholici, qui tamen inter se maximè alteriuntur, quomodo ergo propositiones de futuro contingenti sint veræ in quâ materiâ duplex est Sententia prima & maximè communis, tam Scotistarum quàm Neotericorum est, quod sint determinatè veræ vel falsæ, pro quâ sententiâ non est opus citare aliquem Authorem eò, quod integrum agmen congeri possit. Secunda sententia verò est, quod propositiones de futuro contingenti ante prævisionem & præscientiam Dei, seu spectando eas independentèr à divinâ cognitione, quod nec sint determinatè veræ, nec determinatè falsæ, sed tantum quod sint indeterminatè tales, post cognitionem verò divinam, seu dependentèr à præscientia Dei, tunc sunt determinatè veræ, vel determinatè falsæ. Ita Aureolus, Ambrosius, Catherinus, Ægidius Rom. Joan. Capreolus, Joan. Bassolus, Toletus, Mafius & plures alii, quos citat in margine Baro & sequitur ac præclarè defendit eam à censurâ contrariæ sententiæ, quasi esset hoc contra bonos mores, aut determinatione Pontificum demonstrans signanter Sixtum quartum nequaquam eam damnare cum assistentia Spiritus Sancti non sit, ad determinandas difficultates Logicas, qualis est purè sententiâ ista, quæ propositiones in se ipsis præcisè considerat, non verò prout subsunt cognitioni & præscientiæ Dei, & hanc sententiam utpote subtilem & ingeniosam amplectar etiam, Interim

abusivè dicuntur etia tempora, cum verè nullum sit propriè nisi præsens, præteritum autem fuit, futurum erit; ergo si futurum non est, sed erit, non poterit secundum rigorem dici, quod illæ sint veræ. Quare tales propositiones melius sic exprimuntur, AntiChristum futurum, Judam peccaturum, Petrum fleturum, quàm esse futurum, fleturum, peccaturum. Per hanc Conclusionem tamen non intendo, nec possum tollere communem loquendi modum, & universalem receptionem, quâ pro eodem significando accipiuntur.

**DICO 2.** Deum præcognoscit ab æterno omnia necessaria, & contingentia futura. Hæc est, communis omnium Philosophorum, & Theologorum contra aliquos Gentiles Philosophos, Et Probatur ex Sacra Scriptura, nam Ecclesiastici 23. dicitur: *Domino Deo antequam creantur, cognita sunt omnia.* Et Sap. 8. *Signa & monstravit antequam fiant, & eventus futurorum temporum,* & Psal. 139. *Intellexisti cogitationes meas de longe (id est antequam fierent) & omnes vias meas prævidisti;* ergo.

**VII.**  
Deum ab æterno præcognoscit contingentia.

**Probatur etiam ratione.** Omnis perfectio non involvens implicantiam, infinitas essentia divinæ sibi identificat, sed cognoscere omnia, necessaria & contingentia, futura est perfectio, sine imperfectione; ergo Deo concedenda est, patet major & minor consequentia ergo est optima.

**DICO 3.** Propositiones necessaria, habent suam aliquam veritatem, independentèr ad actum divini intellectus. Hanc quoq; non reperi ullibi, puto tamen, quod probabiliter sustineri possit, quod sic ostendo, & probò. Secundum probabilem sententiam, essentia creaturarum, & ipsa creaturæ habent, esse aliquid diminutum, ab æterno antecedentèr, ad actum divini intellectus; ergo etiam habent determinatam aliquam veritatem, probatur consequentia, (antecedens suppono, nunc de quo ex proposito, in Metaphysica.) Quia veritas sequitur necessarò essentiam; ergo si habent creaturæ esse, habent etiam veritatem aliquam determinatam, probatur ant. quia veritas est proprietas entis, sed proprietas necessariò sequitur; ergo.

**VIII.**  
Propositiones necessaria habent determinatam veritatem.

**DICO 4.** Propositiones de futuro contingente, secundum se spectatæ, secludendo scientiam Dei, non sunt ex objectu suis determinatè veræ, nec determinatè falsæ. Hæc est contra plurimos Scotistas, est tamen ipsius Scoti 1. d. 39. q. un. & Aristotelis 1. Periher. ult. & aliorum, pro secunda sententia citatorum, &

**IX.**  
Scientiâ Dei scientiâ propositiones non sunt determinatè veræ.

**Probatur Conclusio primò.** Ex his duabus propositionibus, *AntiChristus peccabit, AntiChristus non peccabit*, prima ex se non est determinatè vera ex suo objecto; ergo nulla propter omnimodam paritatem, de una ac de alia, probatur ant. Nulla veritas potest dari prior illâ, quæ est de præsentia, sed si veritas de futuro daretur, esset prior illa de præsentia; ergo non datur, probatur ma. si daretur veritas, de peccato AntiChristi, prior ipso peccato, seu veritate de existentia ejus, tunc ejus peccatum, non esset peccatum, sed hoc implicat; ergo. Probatur sequela ma. quia ille actus, non esset

**IX.**

**DICO I.** Si Propositiones de futuro contingenti & similes, AntiChristum est futurum, Judas est peccaturum, Petrus est fleturus, spectentur in rigore secundum voces simpliciter erunt falsæ. Hanc non deprehendi sic propositam. Eam tamen sic probò. Illæ propositiones simpliciter dicendæ sunt falsæ, quæ se invicem destruant, sed illæ propositiones seipsas destruant; ergo si in rigore spectentur non erunt veræ, sed absolutè falsæ: probatur mi. Illæ se destruant quorum aliquid affirmatur & etiam simul negatur, sed in istis propositionibus unum affirmatur & etiam negatur; ergo probatur mi. quia particula *Est* affirmat aliquid de præsentia & particula *futurum* negat illud; ergo unum affirmatur & etiam alterum negatur: probatur mi. quoad secundam partem, quia futurum dicit existentiam in tempore sequente aliquo connotando negationem ejus in instanti præsentia; ergo ly *futurum* negat, quod particula *Est* affirmabat & sic in rigore si spectentur voces, propositiones illæ erunt falsæ. Confirmatur ex D. Augustino, qui ait: Non nisi

F. Amandi Hermann Logica.



liber, sed nullum est peccatum, nisi sit liberum; ergò. Probatur ma. quia antequam Antechristus peccatù poneret esse determinatus ad illud ponendum, sed hoc destruit libertatem; ergò. Probatur ma. actus est determinatus ad essendum; ergò causa est determinata, ad eum ponendum, quia sicut actus non est à se, sed à causa; ita non potest esse determinatus, nisi sit etiam determinata causa ad eum ponendum.

x.

Dices: Antichristum liberè peccatum & non necessariò, quia non necessitabitur necessitate antecedente, sed subsequente, quæ nullo modo destruit libertatem. Sed Contra tunc non dicitur, tolli libertas per determinationem aliquam, quando hæc per ipsum agentem posita est, sed hic non esset posita determinatio per agentem; ergò. Probatur mi. quia Antichristus non potest se determinare nisi in actu secundo, sive per actum secundum & aliquam actionem; ergò determinatio, quæ præcedit actionem non est ab ipso Antichristo, probatur ant. quia non potest exercere libertatem nisi sic, nam actus primus ipsius potentia, non est liber in essendo, sed in agendo tantum, sed hæc determinatio quoad futurum, præcedit actum secundum, quia futurum præcedit existentiam, adeoq; determinatio ad futurum, præcedit determinationem ad existentiam.

xI.

### Probatur Conclusio secundò.

Secundùm Scotum & Scotistas, communitèr in electione positiva Salvandorum & reprobatione negativà damnandorum dantur plura instantia, ita quòd fortè in electione antecedant quinq; , vel sex instantia, sed Propositio quæ dicit, Petrus salvabitur in tertio, quarto, & quinto instante, nec est determinatè vera, nec determinatè falsa; ergò propositio de futuro contingenti, si secundum se consideretur, conclusà scientià Dei, nec est determinatè vera, nec determinatè falsa, probatur mi. non est determinatè falsa, quia Sanctus Petrus consecutus est gloriam, nec etiam est determinatè vera, quia non potest illa gloria, acquiri nisi Deo volente, nam cum consistat in visione & fruitione, quæ haberi non potest nisi concurrente & præbente se objecto, quod vocatur speculum voluntarium, quia se manifestat cui vult & in quantum, ac quando vult; ergò non poterit esse determinatè vera, quia tunc nulla adhuc concipitur causa, quæ eam sic determinaret & consequenter, ex his duabus propositionibus contradictoriis, Petrus consequetur gloriam, Petrus non consequetur gloriam antecedenter, ad Dei scientiam nulla erit determinatè vera.

xII.

### Probatur Conclusio tertio.

Antequam decrevit Deus quòd velit creare mundum, non fuit determinatè vera, nec determinatè falsa; ergò propositiones de futuro contingente, præscindendo à decreto libero Dei ejusq; præscientià, non sunt determinatè vera, nec determinatè falsa. Probatur ant. non fuit determinatè falsa, quia alioquin non esset productus, nec fuit determinatè vera, quod sic probò: Nulla creatura potest de non esse transire ad esse determinatum, sine volun-

tate entis increati, quia alioquin transiret à se, quod implicat, quia sic haberet illud necessariò, ita quòd illud amittere non posset, idque independentèr ab omni alio; ergò ante illud decretum non erit determinatè vera, si non determinatè vera, nec determinatè falsa; ergò Confirmatur Ratio & pono Casum, quòd Deus nondum sit determinatus ad producendum alium mundum, tunc sic ex istis duabus propositionibus, *Alium mundum erit, alium mundum non erit*, nulla earum est determinatè vera, nec determinatè falsa; Non falsa, quod sic probò: veritas sequitur esse rei & falsitas non esse, sed mundus alius non habet determinatum non esse; ergò nec determinatam falsitatem, probatur mi. quia non potest aliquid habere, determinatum non esse, nisi aliqua causa externa circa eam jam sic determinasset, sed nulla causa sic circa alium mundum determinavit, quia suppono, quòd nihil Deus circa ejus existentiam disposuerit, nec etiam illud non esse potest habere à se, quia ex se est indifferens ad esse, & ad non esse; ergò non determinatè erit falsa, & consequenter altera, nec determinatè vera. Sed

### Arguitur In Contra, ex his duabus

propositionibus: *Antichristus erit, Antichristus non erit*, una aut est falsa, aut est vera, si prima vera; ergò falsa secunda; si verò prima falsa, ergò vera secunda, quia est contradictoria ejus. Probatur ant. primum, quia illæ duæ propositiones non possunt esse simul veræ, & simul falsæ; ergò vel erit falsa, vel erit vera, quia inter contradictoria non datur medium, de quolibet enim est verum dicere, quòd sic vel non sit, nec potest dici, quòd nec esse possit, nec esse non possit, quia contradictoria propositiones nequeunt esse simul veræ, vel simul falsæ; ergò. Et hoc est præcipuum argumentum pro Contrarià sententià, ad quòd respondeo distinguendo primum ant. una aut est vera, aut est falsa determinatè, nego ant. indeterminatè concedo ant. ad cujus probationis ant. concessio nego consequentiam. Itaq; licet verum sit, ad contradictoria non dari medium, sufficit tamen ad ea salvanda una, vel altera veritas scilicet vel determinata vel indeterminata, quia quòd etiam indeterminatè inest in re verè de ipsa prædicatur, quod inde vel maximè patet, quòd multæ dentur propositiones, quæ aliter salvari non possunt, quia non faciunt alium sensum, ut sunt illæ: Aliquis oculus est necessarius ad videndum, aliquis equus necessarius ad equitandum, &c. quæ non habent determinatam veritatem de hoc oculo, & de illo oculo, sed vel de hoc vel de illo aut de isto, cum disjunctione, ita ut neuter sit determinatè necessarius.

Instatur. Si propositio illa *Antichristus erit*, non est determinatè vera vel falsa, sed tantum indeterminatè, sequeretur quòd propositio negativa ista, *Antichristus non erit*, non contradiceret ei, sed hoc est manifestè falsum, ergò. Probatur sequela, quia una non negaret, quod altera affirmat, sed potius utraque idem dicunt scilicet rem esse suspensam inter esse & non esse, & differunt tantum penes modum, incipiendi contradictionem ab uno extremo

tremo potius, quam ab alio, quia idem est dicere, Antichristus erit, Antichristus non erit, ac Antichristus non erit, Antichristus erit. R. negando sequelam ma. cum sua probatione, quia licet non sint determinate verae vel falsae, per hoc tamen non deducitur, quod idem dicant, quia revera affirmativa tantummodo affirmat, & negativa tantummodo negat idem; determinate hoc significat, aliud tamen postmodum est determinate significare aliud esse determinate veram, idem enim oritur, quod non sit determinate vera, quia nimis determinate illud affirmatur.

**Urgetur.** Si propositiones illae contradictoriae significant determinate; ergo esse aut non esse rei erit determinatum, & non tantum indeterminate. R. 1. Negando sequelam, quia lex contradictoriarum non est, ut una sit vera & altera falsa, sed quod si una est vera, altera debeat esse falsa. R. 2. negando sequelam & suppositum, videlicet illas duas propositiones non esse proprie contradictorias, quod explicio ex Barone, & cum eo exhibendo alias propositiones similes, quia istae, Petrus est determinatus ad esse, Petrus est determinatus ad non esse, non sunt contradictoriae, quia Petrus intelligi potest in statu medio, scilicet ut neque sit determinatus ad hoc neque determinatus ad illud, sed illae superiores eodem modo se habent; ergo, unde non esse accipitur, magis infinitanter quam negativè, quia nimirum est terminus positivae determinationis, seu actionis causae efficientis; ut autem sint perfecte contradictoriae sic ordinari debent, Petrus est determinatus ad esse, Petrus non est determinatus ad esse, & eodem modo non contradicunt sibi, Antichristus determinate erit, Antichristus determinate non erit, sed per hanc, Antichristus non determinate erit, ex quibus patet, quod licet sint verae vel falsae, non tamen quod determinate sint verae vel falsae. Quae omnia si bene praenotata fuerint, valebunt ad multas alias difficultates dissolvendas, quae contra conclusionem obijci possunt. Hinc

**Dico 5.** Propositiones de futuro contingente praesupposita scientia Dei, determinate sunt verae vel falsae. Haec est communis in Scholis & maxime consona ad fidem, & decreta Pontificum, nec contradicit priori, quia illa loquebatur de propositionibus de futuro contingente praescindendo a scientia & decreto divino.

**Et Probatur Conclusio:** Illa propositio est determinate vera, quae est determinate conformis objecto & illa est determinate falsa, quae est disformis objecto, sed altera pars contradictionis est determinate conformis objecto, & altera disformis; ergo una determinate vera, & altera determinate falsa: major est certa. Probatur mi. Illa propositio est conformis objecto, quae significat ita rem se habere sicuti in se est, illa vero disformis, quae significat aliter quam est; ergo illa propositio est conformis objecto, quae significat fore sicut erit objectum in se (supponemus modò rem futuram) & illa disformis, quae significat aliter, tunc sic subsumo, sed propositio affirmativa significat rem futuram sicuti erit in se, & ne-

gativa negat; ergo illa determinate erit vera, & altera falsa.

**Dices:** Neutram harum propositionum esse determinate veram vel falsam, sed utramque esse indeterminate vel veram vel falsam. Contra haec propositio Petro peccante hodie prolata, *Petrus peccat* est determinate vera; ergo heri prolata ista propositio *Petrus peccabit*, erat determinate vera ant. nemo negabit. Probatur consequentia, nam juxta communem regulam implicat propositionem de inesse esse veram, quin propositio de praeterito, vel futuro sit vera, verbi gratia, implicat hanc esse veram, *Petrus loquitur*, esse veram, quin fuerit aliquando verum, *Petrus est locutus*. Confirmatur haec propositio jam determinate vera est, *Christus natus est*; ergo haec fuit aliquando vera, Christus natus est; probatur consequentia, quia idem illa est vera, quia haec aliquando fuit vera Christus nasceretur.

XV.

**Probatur Conclusio secundò.**

XVI.

Propositiones fidei de futuro contingenti sunt, determinate verae; ergo & aliae à paritate. Probatur ant. haec sunt determinate verae, Antichristus nasceretur, dies Judicii erit, quia si non essent determinate verae, nemo teneretur illis credere determinate, quia non teneor nisi determinato vero credere. Imo ex opposita sententia sequeretur, quod possem sine jactura fidei, tam bene propositioni huic assentiri, Resurrectio non erit, vel dies judicii, quam huic, dies judicii & resurrectio erit, quia sicut in hac dies judicii erit, secundum Adversarios non est determinata veritas, ita nec in illa dies judicii non erit, est determinata falsitas; ergo sicut assentiendo huic non magis assentior vero quam falso, quia non magis in ea est determinata veritas quam falsitas, ita assentiendo illi non magis assentior falso quam vero, cum in ea non magis sit determinate falsitas, vel veritas, sed haec sunt inconvenientissima; ergo & illa ex quibus ista sequuntur. Confirmatur: Ex opposito sequeretur nullam esse contradictionem praesupposita scientia Dei inter has propositiones contradictorias: *Petrus peccabit*, & *Petrus non peccabit*, sed hoc est falsum; ergo probatur ma. Quia ibi est contradictio, quando una propositio aliquid unum affirmat, & altera id ipsum totaliter negat, sed si propositiones illae tantum indeterminate significant peccatum Petri, hoc non fieret, ut quod una asseruerat altera negaret; ergo ibi nulla esset contradictio. Probatur ex Aristotele hic cap. 6. Probatur etiam minor, quia propositio haec: *Petrus non peccabit*, significat, Petrum ita non peccare, ut sit indifferens ad oppositum, & contra ista: *Petrus peccabit*, significat ita Petrum peccare posse, ut alteram quoque partem complecti posset, sed in tali significatione illarum propositionum nulla reperitur contradictio, ergo.

**Probatur Conclusio tertio.**

XVII.

Omnis propositio de materia contingenti est determinate vera vel falsa, juxta omnes & etiam ipsos Adversarios, sed propositio reflexiva affirmans veritatem de propositione de futuro

turo contingente est propositio de presenti, verbi gratia hæc: Petrus cras peccabit, est propositio vera; ergo hæc est determinatè vera, vel falsa, sed non potest esse talis, nisi etiam hæc, Petrus cras peccabit sit determinatè vera vel falsa, ergo. Confirmatur Conclusio: Quidquid erit, determinatè erit, quia nihil potest existere indeterminatè & vagè, nam quidquid existit, procedit à causis, causæ autem nihil indeterminatum & vagum possunt producere, sed qui dicit aliquid futurum, in illo eo modo fertur quo aliquando erit, sed res erit determinatè; ergo etiam illud determinatè verum affirmatur, & consequenter alterum determinatè erit etiam falsum. Sed

xviii.

## Probatur Conclusio quartò.

Deus ab æterno habuit perfectam ac determinatam cognitionem horum objectorum futurorum, ut est de fide, ille etiam Prophetis revelat, verbi gratia, cognitio peccati AntiChristi, ut sit vera vel falsa, ex suppositione objecti; sed ab æterno fuit vera, & determinatè vera, quia cognitio, quæ non est determinatè vera, sed suspensa, ut vel vera sit vel falsa, sed hæc assertio de scientiâ Dei est omninò impossibile; ergo in universum verum est dicere, omnem propositionem de contingente futuram esse determinatè veram, vel esse determinatè falsam. Reliquæ propositiones pro hac Conclusionem posunt esse objectio & instantiæ factæ contra præcedentem Conclusionem. Contra hanc autem

xix.

*Quod Deus ab æterno futurum videt, est infallibiliter futurum non tamen necessarium.*

Arguitur. Et est principalissimum Argumentum Philosophorum Gentilium & Hæreticorum nonnullorum. Si propositio de futuro contingenti esset determinatè vera, verbi gratia, *AntiChristus peccabit*, esset ab æterno vera, sed illud quod est ab æterno verum, est necessarium verum, quia propositiones ab æterno sunt necessarium veræ; ergo si illa propositio AntiChristus peccabit est determinatè vera, est necessarium vera, & sic tollitur omnis contingentiæ à rebus creatis. Probatur mi. quia Authores communiter propositionem ab æterno veram vocant necessariam; ergo si propositio est ab æterno vera est necessarium vera. R. Concessa ma. negando mi. ad cuius probationis ant. R. dist. illud Authores communiter propositionem ab æterno vocant necessariam eam inter cuius subiectum & prædicatum est habitudo essentialis, nego ant. & distingo similiter consequens & nego consequentiam. Itaq; hoc est discrimen inter propositiones necessaria, & contingentes, quòd illæ ab æterno habeant connexionem indissolubilem extremorum antecedenter ad omnem actum voluntatis, hæc autem non habent talem necessariam connexionem, nisi subsequuntur ad actum divinæ voluntatis, adeoq; non sunt sic necessaria. R. 2. distinguendo mi. Esset necessarium verum, id est, infallibiliter concedo mi. id nullo modo liberè, nego mi. & consequentiam utramque, quia non per quamcunq; determinationem tollitur contingentiæ in rebus creatis, sed tantum per illam, quæ est per verbum de presenti expressa, non verò per eam,

quæ exprimitur per verbum de futuro. R. 3. disting. mi. illud quod est ab æterno verum, est necessarium verum in sensu composito, concedo mi. in sensu diviso, nego mi. vel sic est necessarium verum, necessitate antecedente, nego mi. necessitate consequente, concedo mi. & nego utramq; consequentiam. Sed

**Instatur.** Si peccatum AntiChristi est infallibiliter, in sensu composito & necessitate consequente futurum, Deus videt ipsum esse infallibiliter futurum, sed quod Deus videt infallibiliter futurum, non est absolutè necessitate futurum; ergo nulla solutio. Probatur mi. quia alioquin scientia Dei falleretur. R. concessa ma. negando mi. quia idè Deus vidit illud infallibiliter esse futurum, quia AntiChristus infallibiliter determinabit se ad peccandum pro eo instanti, pro quo poterat se non determinare, adeoq; non absolutè necessitate peccabit, sed liberè, ad probationem mi. nego ant. & consequentiam.

**Urgetur.** Si AntiChristus non obstante præscientiâ Dei potest non peccare; ergo sequetur ad minus, quod Deus in sua scientia possit falli. R. negando consequentiam. Quia licet AntiChristus posset non peccare, aut se ad peccatum non determinare, imò licet actu se nunc determinaret ad non peccandum, adhuc Deus in sua scientia non falleretur, dum videret ipsum ab æterno infallibiliter peccaturum, quia Deus non videt ipsum peccaturum, nisi conformiter ad suam libertatem, nimirum quia posset peccare, vel non peccare pro isto tempore, pro quo infallibiliter peccat, nam per eandem scientiam videt AntiChristum peccaturum, quando reverà peccaturus est, per quam videret ipsum non peccaturum, si non esset peccaturus absq; ulla profus in scientia sua mutatione.

**Replicatur.** Si Deus videret AntiChristum infallibiliter actu peccantem pro instanti, pro quo potest non peccare, falleretur; ergo si videt ipsum peccaturum pro instanti, pro quo potest non peccare, potest falli: ant. patet: probatur consequentia, quia quando aliquid in actu necessarium sequitur ad aliud in actu, tunc etiam à potentia illius, necessarium sequitur ad potentiam illius, verbi gratia, si necessarium sequitur: Petrus currit; ergo movetur, necessarium etiam sequitur: Petrus curret; ergo movebitur, seu Petrus potest currere; ergo potest moveri; ergo si tunc falleretur scientia Dei, ut antecedens habet sequetur etiam, quòd posset falli scientia Dei. R. concessio ant. negando consequentiam, cuius prob. ant. dist. si in potentia ponantur omnia, quæ ponuntur in actu, concedo ant. si minus, nego ant. & consequentiam. Itaq; in proposito, quando dicitur: Si Deus actu videret AntiChristum peccantem pro instanti, pro quo peccat ponitur actualis, si multas inter scientiam Dei ejusq; tendentiam in peccatum & negationem ejusdem peccati, quando verò dicitur; ergo si videt ipsum peccaturum pro instanti, pro quo potest non peccare, non ponitur simultas actualis possibilitatis inter scientiam ad peccatum possibile, vel futurum & negationem ejusdem peccati possibilem

bilem vel futuram, quando ergo Deus peccatum futurum esse, alia est tendentia in scientia ab ea, quæ esset si videret ipsum peccatum non esse futurum & sic non fallitur, quia semper videt ipsum taliter qualiter est in se.

XX. **Dices:** Ideo nos dicimur fallibiles, quia scientia nostra ita tendit in res, ut possit non tendere; ergo si scientia Dei posset non tendere posset falli. R. negando ant. sed ideo dicimur fallibiles, quia nostra scientia potest nobis rem præsentare aliter quam est in se, nam aliquando cognoscimus res esse, quæ reverà non sunt & res non esse, quæ reverà sunt.

XXI. **Arguitur 2.** AntiChristus ab æterno non est magis determinatus ad esse, quàm ad non esse; ergo non est magis determinatè verum quòd sit, quàm quòd non sit futurus. Ant. probatur, quia alioquin ab æterno esset extra suas causas. R. 1. dist. ant. non est magis determinatus ad esse simpliciter, quàm ad non esse simpliciter transeat: non est magis determinatus ad esse secundum quid, seu ad esse futurum, quàm ad non esse futurum; nego ant. quia ab æterno est determinatus ad esse futurum. R. 2. negando ant. absolutè, quia ab æterno est determinatus ad esse simpliciter, sed non pro æterno, sed pro tempore futuro.

**Instatur.** Saltem AntiChristi peccatum non est determinatè futurum ab æterno; ergo non est verum, quòd determinatè peccabit. Probatur ant. quia non posset determinari ab æterno, nisi à Deo, quia cum ipse non sit ab æterno extra suas causas, non potest seipsum determinare ad peccatum ab æterno. R. negando ant. cum suæ probationis ant. quia ideo AntiChristi peccatum est ab æterno futurum, quia ipse in tempore determinatè peccabit & non quia Deus ad peccandum ipsum determinabit, Deus enim non potest quemquam ad peccandum determinare, unde ideo Deus videtur illam propositionem ab æterno determinatè veram, quia AntiChristus in tempore determinabit se ad peccandum.

**Urgetur.** Si verum est ab æterno, quòd AntiChristus determinatè peccabit, idem dic de aliis, qui sic prævidentur peccaturi, frustra essent exhortationes, consilia, imò injustè imponerentur pœnæ, damnatio &c. sed hoc est durum, ergo. Probatur sequela, quia peccatum ipsum necessariò eveniet saltem in sensu composito; ergo frustra essent exhortationes & consilia, ut peccatum istud vel aliud caveat, cum certum sit ipsum peccatum futurum & ponendum ab ipso. R. 1. Negando sequelam, quia licet istæ exhortationes simpliciter, & in se sint frustranæ, non tamen in ordine ad nos, qui ignoramus, an peccatum talis hominis sit determinatè futurum nec ne. R. 2. dist. sequelam istæ exhortationes frustranæ sunt ei, cuius peccatum est infallibilitè futurum, concedo:



sequelam: aliis nego sequelam, imò & ipsi non sunt absolutè frustranæ, quia licet sit determinatè peccaturus, potest tamen absolutè non peccare & sic absolutè non essent frustranæ.

**Arguitur 3.** Si Propositio de futuro contingenti est determinatè vera, debet ejus objectum esse determinatè futurum, sed hoc non potest sic determinatè esse futurum, ergo. Probatur mi. quia non potest assignari à quo habeat esse futurum determinatè, dum etiam, quia si Deus videret illud objectum futurum, ejus oppositum non posset fieri, aliàs ut supra dixi, scientia Dei posset falli. R. negando mi. ad cujus probationem dico pro nunc (plura in Theologia traduntur de hac difficultate) Illud à quo res habet esse futurum, vel esse causam primam se sola, vel causam primam cum causâ secunda simul, nec refert, quòd causa secunda non existat actu pro omni tempore, pro quo verum est dicere, quòd illud sit futurum, sed sufficit, quòd tunc existet, quando ponetur illa res in esse actualis existentiae, ad secundam probationem ejusdem mi. R. dist. ant. Ejus oppositum non posset fieri simpliciter, nego ant. secundum quid & ex hypothesi futurationis suæ, ac scientiæ Dei de illa futuratione, concedo ant. nec & exinde sequitur, quòd scientia Dei falleretur, aut falli posset.

**Instatur.** Ex suppositione & hypothesi, quòd videat Deus Petrum scripturum, verbi gratiâ, vel sessurum pro instanti A absurdum esset, quòd non federet pro illo instanti; ergo non est absolutè possibile, quòd non scribat, aut fedeat pro illo instanti, probatur consequentia, quia ex possibili possibile inesse non sequitur aliquid absurdi. R. negando consequentiam & distinguendo ejus prob. Ex possibili posito inesse, non sequitur aliquid absurdum absolutè & simpliciter, concedo ex hypothesi & secundum quid, nego.

**Urgetur.** Ergo saltem ex hypothesi, quòd videat Deus Petrum sessurum vel scripturum pro instanti A, non potest non federe, vel non scribere, quamvis simpliciter posset non scribere, vel non federe. R. concedendo sequelam, nec in hoc videtur aliqua absurditas, ut in Theologia patebit, quare super sedeo plura congerere argumenta, quia quasi omnia in idem coincidunt & facile solvi possunt, tum ex dictis, tum si benè notetur necessitas antecedens & consequens sensus compositus & divisus, tum illud quòd dicit D. Hieronymus in 26. Jerem. Non ex eo quòd Deus scivit futurum aliquid, ideoquò futurum est, sed quia futurum est, Deus novit quasi præsciis futurorum. Et hæc sufficiant pro explicatione Operis de Perihermenias.



## DISPUTATIO III. DE ANALYSI PRIORI, SEU DE PRIORI RESOLUTIONE.

**C**ertum est Aristotelem quatuor edidisse libros, in quibus egit de priori & posteriori Analyfi, seu de priori & posteriori resolutione Syllogismi, ut sic in suas partes, nam Analyfi nihil aliud est quam resolutio, seu reductio alicujus rei in suas partes & principia ex quibus constituitur, ut cum domus in ligna, lapides & calcem &c. resolvitur: Duplex autem est talis resolutio Consequentiae & consequentis; Analyfi consequentiae est, quando consequentia reducitur ad sua principia, quae sunt termini ac propositiones apte & congruenter secundum formam ad aliquid inferendum collocatae, & tunc dicimur resolvere consequentiam, cum ejus bonitas etiam ostendimus ex eo, quod constat terminis & propositionibus ad concludendum secundum regulas artis in modo & figura rite ordinatis & dispositis: Analyfi consequentis est, dum consequens ad sua principia reducitur, principia vero consequentis sunt termini & propositiones cum conclusione, quae infertur apte, connexa & coherentes secundum materiam & tunc dicimur resolvere consequens, quando ostendimus conclusionem illatam deduci ex principiis, quae in se contineant causam veritatis Conclusionis. Et juxta hanc duplicem acceptionem Aristoteles quatuor suos libros in priorem & posteriorem Analyfin dividit, & quae de priori Resolutione restabunt dicenda siquidem plura jam examinata sunt in Summulis, in hac expediatur disputatione. Sit igitur

### QUAESTIO I.

Utrum eodem actu quo intellectus assentitur praemissis assentitur etiam Conclusioni & contra?

I.

*Sensus quaestioni.*

Suppono ex Summulis praemissas nihil aliud esse, quam propositionem majorem, & minorem, & ex his illatam vocari conclusionem. Certum est ergo, quod possit quis assentiri cuilibet ex praemissis scorsim sumptis sine eo, quod assentiatur conclusioni, & conclusioni absq; eo, quod assentiatur praemissis. Queritur ergo de illis, quando sunt syllogistice dispositis utrum, quando intellectus assentitur praemissis, eodem actu assentiatur conclusioni, & quando assentitur conclusioni ob praemissas actualiter propositas idem sit actus, quo assentitur praemissis? Circa quam materiam triplex est sententia: Prima docet eodem actu, quo assentior praemissis etiam assentiri conclusioni, ita Ochamus, Gabriel, Durandus & plures alii. Secunda sententia dicit non eodem actu, quo assentior praemissis me assentiri conclusioni, sed diverso, dicit tamen, quod quamvis praemissae cognoscantur diverso actu ab actu conclusionis, tamen quando assentior conclusioni ille assensus non tantum attingit conclusionem, sed etiam praemissas, ita ut intellectus attingat principia primo assensu principiorum, deinde assensu conclusionis per quandam repetitionem iterum cognoscit principia: ita D. Thomas cum suis Soncinas, Arriaga, Cajetanus, Rubius &c. Tertia sententia docet, quod diversi sint actus, quo assentior praemissis ab illo, quo assentior conclusioni, ita quod assensus qui attingit conclusionem, nullo modo attingat praemissas. Ita Doctor q. 3. Prolog. & in 3. d. 24. q. uni: Ipsumq; sequuntur Scotistae unanimiter Lichetus, Maltrius, Pontius, est etiam Aver. sae & Ariminenfis. Cum qua etiam

II.

*Diverso actu assentimur praemissis & conclusioni.*

Dico I. Diverso Actu assentitur aliqui praemissis ab actu, quo assentitur conclusioni. Haec est contra primam sententiam.

Probatum primò: Ex autoritate

Aristotelis 1. Post. 1. dicentis: omnem notitiam discursivam fieri ex praesistente cognitione praemissarum, id est, cognitionem conclusionis fieri ex praemissis cognitiss & concessis; ergo si praemissae jam debent esse praecognitae & concessae, jam praesensit aliquis actus, ante actum conclusionis, & sic alius erit actus, quo quis assentitur praemissis ab actu, quo assentitur conclusioni.

Probatum Conclusio secundò:

Omnis actus, quo assentior alicui, sive praemissis, sive conclusioni, consistit in judicio; ergo est alius actus, quo assentior praemissis & alius, quo assentior conclusioni. Probatum consequentia, quia in praemissis est diversum judicium à judicio, quod est in conclusioni; ergo est diversus actus. Probatum autem quia judicium formaliter subitur per copulam, sed diversae sunt copulae; ergo diversa judicia. Confirmatur judicium affirmativum, & judicium negativum, item judicium confusum, & judicium distinctum sunt diversa, sed in praemissis frequenter est judicium affirmativum unum, & alterum negativum, & judicium confusum in conclusione non sic; ergo est distinctum judicium primum, & judicium secundum.

Probatum Conclusio tertio:

Magis notum & minus notum prius & posterius causa & effectus diversificant actus, sed praemissae sunt notiores priores & causa conclusionis & conclusio est minus nota posterior & effectus; ergo est alius & alius actus, quo assentior praemissis ab assensu conclusionis. Confirmatur: Quia universale & particulare non potest eodem actu cognosci, sed praemissae sunt frequenter universales & conclusio particularis; ergo conclusio & praemissae non possunt eodem actu cognosci.

Probatum quartò. Habitus diversae

speciei producuntur ab actibus diversae speciei, sed habitus praemissarum & conclusionis sunt diversae speciei; ergo producuntur ab actibus diversae

diverse speciei & per consequens non assentior eodem actu praemissis & conclusioni, major patet. Probatur mi. habitus enim principiorum, qui dicitur intellectus, est specie distinctus ab habitu conclusionis, qui est scientia, ergo.

Dico 2. Non attinguntur eodem actu principia, quo attingitur conclusio, sed diverso sine ulla repetitione ad praemissas, seu principia. Haec est contra secundam opinionem.

Et probatur primo. Si eodem actu, quo assentior conclusioni, etiam necessario assentior praemissis, seu principiis; ergo habitus generatus a conclusione, attinget objecta praemissarum, & sic nunquam potero cognoscere conclusionem absq; eo, quod cognoscam praemissas, quod falsum est, quia frequenter cognosco conclusionem, quando non cognosco praemissas. Probatur conseq. quia qualis est actus, talem generat habitum & speciem; ergo si actus intrinsece fuit conclusionis & praemissarum simul talis quoq; erit habitus.

Arriaga dicit, hoc argumentum esse difficile & omnes ad ejus solutionem teneri, quod etiam solvit per integram paginam, cujus solutionis substantia in hoc consistit, quod licet aliqua duo possunt cognosci eodem actu, possum, tamen aliquando recordari unius non recordando alterius, verbi gratia, dicit Arriaga: possum unico actu cognoscere Petrum & Paulum esse mortuum & postea recordari Petri & non Pauli, sic etiam inquit, licet unico actu cognoscam praemissas, quo cognosco conclusionem possum tamen postea recordari conclusionis non recordando praemissarum. Sed Contra: Quia licet possum cognoscere unico actu Petrum & Paulum & postea cognoscere Petrum non cognito Paulo, hoc ideo est, quia cognitio Petri non est cognitio Pauli, vel clarior, quia species Petri non est species Pauli, & ideo poterit una species remanere non remanente altera, non sic autem res in proposito se habet, quia conclusionis sicut unicus est actus, ita unica est species & per consequens impossibile est, quod manente eadem specie non representet utrumq; simul sicut impossibile foret, si unica species representat Petrum & Paulum, quod possit aliquis cognoscere Petrum non cognito Paulo, ita in proposito siquidem est una species conclusionis & praemissarum, impossibile erit cognoscere conclusionem non cognoscendo praemissas, quod est contra experientiam.

Probatur Conclusio secundò. Si eodem actu, quo cognosco conclusionem, cognosco etiam praemissas; ergo per assensum conclusionis attingam praemissas & per consequens medium, sed hoc non est dicendum; ergo patet ma. quia quid attingit praemissas, necessario attingere debet medium, quia medium in utraq; praemissa reperiri debet, ut de se constat, quia extremitates prius debent esse connexae, cum aliquo tertio, antequam dicantur connexae inter se. Probatur mi. Quia alioquin medius terminus ingrederetur conclusionem, quod est contra communem doctrinam Summularum; ergo si non est dicendum medium ingredi conclusionem, nec dici debet, quod per  
F. Amandi Hermann Logica.

actum, quo assentior conclusioni, assentior praemissis, quia sic comprehenderetur etiam medius terminus.

Arriaga respondet medium non debere repeti per vocem, quia loco ipsius ponitur *ly ergo*, sed in mente debere repeti, quae repetitio dicitur *ergo mentale*. Sed Contra: Quando cumq; propositio vocalis concordatur cum mentali, est bona; ergo quando cumq; conclusio vocalis concordatur cum conclusione mentali est bona, sed quando repeto medium in conclusione vocali, erit conformis illa repetitio conclusioni mentali; ergo erit bona conclusio. Deinde si medium repetitur in Conclusionem, tunc haec conclusio mentalis deducta ex praemissis sic. Homo est animal rationale, Petrus est homo; ergo est animal rationale, facit hunc sensum, homo est animal, Petrus est homo, quia est homo, & homo est animal, & sic erit conclusio ad risum, item Conclusio non erit categorica, sed hypothetica propositio.

VI.

Opponitur contra Conclusionem primam autoritas Aristotelis 6. Eth. 7. ubi ait: Sapientiam esse scientiam, & intellectum, sed intellectus est de principiis & scientia de conclusionem; ergo sapientia habet eminenter utrumq; & consequenter unico actu debet attingere principia & conclusionem, nam cap. 8. ait: Sapientis esse non solum circa principia, sed etiam circa conclusionem dicere verum. R. dist. ma. Sapientia est scientia & intellectus simul in quantum, scilicet incumbit ipsi considerare causas universalissimas & prima principia aliarum scientiarum: transeat ma. in quantum cum aliis scientiis & Sophia convertitur: seu quod sit unicus actus, nego ma. & concessa mi. nego consequentiam. Itaq; ut sapientia dicatur distingui a scientia & intellectu non requiritur, quod unico actu attingat ea, quae attingit intellectus & scientia, sed satis est, quod sit habitus conclusionum ex primis principiis deductarum. Imò potest Autoritas secundum meum videri adhuc aliter explicari, scilicet, quod sapientia in ampliori acceptione, aliquando vocetur intellectus, aliquando scientia, quod quidem verum est, sed nihil contra Conclusionem.

VII.

Quomodo sapientia sit scientia & intellectus.

Instatur. Debet sapientia distingui ab apprehensione & iudicio, seu a prima & secunda mentis operatione ad minus, sed si non attingeret simul praemissas & conclusionem unico actu, non posset dici distingui, sicut nec ullus discursus, ergo. Probatur mi. quia tunc essent tantum plures operationes secundae, seu aggregatum aliquod ex pluribus iudiciis R. negando mi. cujus probationis ant. distingo, essent tantum plures operationes secundae non ordinatae ad se invicem, nego ant. debite ad se invicem ordinatae & copulatae, ac connexae, concedo ant. & nego consequentiam. Itaq; in quolibet actu scientifico & quolibet discursu requiritur, ut praemissae habeant habitudinem & connexionem ad conclusionem, ita ut intellectus assentiatur uni, quia jam habuit assensum ad aliud & ex vi illius eliciat assensum alterius, unde in quolibet discursu tria interveniunt, cognitio noti, deinde cognitio ignoti & tandem illatio, seu deductio, quae est quodammodo  
P p copula,

copula, ſeu utriuſq; nexus & poteſt clarè explicari exemplo ſecundæ operationis, nam ſicuti in iudicio adefſt apprehenſio ſubjecti & apprehenſio prædicati, ſic in diſcurſu adefſt iudicium antecedentis noti & cognitio conſequentis ignoti, & ſicut in iudicio adefſt connexio terminorum per copulam Eſt ſignificata, in quâ formalitèr conſiſtit iudicium, ita in diſcurſu adefſt connexio propoſitionum, per ly ergò ſignificata, in quâ connexione & illatione conſiſtit diſcurſus formalitèr, non verò in eo, quòd unico actu attingat præmiſſas & concluſionem.

**Urgetur.** Poteſt intellectus unico actu plura cognoscere, ſed quando intellectus pluribus actibus unum per aliud cognoscit eſt diſcurſus; ergò erit etiam diſcurſus, quando per unum actum plura cognoscit, unum ex alio deducendo. R. diſt. ma. poteſt plura cognoscere diſcurſivè, nego ma. apprehenſivè vel iudicativè tranſcat ma. & diſtinguo etiam mi. ſi illi actus dicant habitudinem ad ſe invicem, concedo, ſi non dicant, nego mi. & conſequentiam. Itaq; licèt unico actu plura poſſent cognosci, talis cognitio non erit diſcurſus, ſed vel prima, vel ſecunda mentis operatio.

**VIII.** **Arguitur** contra ſecundam Concluſionem; Potentia intellectiva poteſt eodem actu tendere in objectum formale & materiale, ſeu in objectum quod & rationem quâ, ſed præmiſſæ ſunt rationes quâ & concluſio eſt illud, quod apprehenditur & cognoscitur; ergò intellectus eodem actu poteſt tendere in concluſionem & præmiſſas. Probatur ma. poteſt eadem potentia viſiva attingere ſimul uno actu lucem & colorem; ergò etiam eadem potentia intellectiva. R. diſt. ma. & rationem quâ, id eſt rationem in quâ & per quam, concedo ma. poteſt attingere potentia intellectiva objectum materiale & formale, ſeu objectum quod & rationem quâ, id eſt ex quâ, nego ma. & diſt. ſimilitèr minori, nego conſequentiam, ad probationem majoris dico lucem & colorem eſſe rationem in quâ, ſeu per quam adeoq; unico actu attingi poſſunt, præmiſſæ verò reſpectu concluſionis ſunt ratio ex quâ; unde ſufficit ut ſimul cognoscatur concluſio, licèt non eodem actu.

**Instatur.** Revelatio eſt ratio ex quâ credimus propoſitis credendis, ſed non poteſt quis credere ex revelatione, quin eodem actu feratur in revelationem; ergò nec poterit quis tendere in concluſionem, quin tendat in rationem ex quâ, ſeu in præmiſſas. R. 1. negando ma. quia revelatio eſt potius ratio per quam, ut patet ex dictis. R. 2. permittendo tranſire ma. diſt. non poteſt quis credere ex revelatione, quin eodem actu feratur in revelationem, quatenus actus fidei dicit dependentiam ad revelationem, concedo mi. quatenus actus, quo creditur revelatum, ſit etiam actus, quo creditur revelatio, nego ant. & diſt. ſimilitèr conſequens & nego conſequentiam.

**Urgetur.** Voluntas poteſt eodem actu ferri in medium & in finem; ergò etiam intellectus eodem actu credere revelatum & revelationem, & ſi hoc; ergò etiam eodem actu ferri in præmiſſas & concluſionem, probatur conſe-

quentia, quia ſicut propter finem ſunt media, ita propter concluſionem ſunt præmiſſæ; ergò etiam eodem actu in concluſionem & in præmiſſas ferri poteſt, quia ſicut media ſunt ordinata ad finem, ita præmiſſæ ad concluſionem. R. negando conſequentiam cum conſequentia probationis ratio diſparitatis eſt. Quia in fine & in mediis eadem reperitur bonitas, & ſic facile unus actus circa eadem haberi poteſt, ſed in concluſione & in præmiſſis eſt duplex veritas, adeoq; etiam duplex aſſenſus diverſæ rationis haberi debet.

**Arguitur** pro Eodem. Plus exprimit actus aliquis ſub hac nota illationis Ergò, quàm ſine ea, *verbi gratia*, plus eſt dicere: *Omnis homo eſt animal, ſed Petrus eſt homo; Ergò (inferendo) Petrus eſt animal*, quàm dicere: *Petrus eſt animal*, ergò per actum illum, quo dico: *Ergò Petrus eſt animal*, non attingitur ſola hæc nuda propoſitio, ſed etiam illæ duæ priores, ex quibus eſt deducta & conſequentèr unico actu attingitur concluſio & præmiſſæ. R. negando conſequentiam, quia licèt verum ſit, quod plus attingatur, quàm nuda illa propoſitio, illud tamen quod ſimul attingitur, non ſunt præmiſſæ, ſed dependentia veritatis concluſionis à veritate præmiſſarum veluti à cauſa.

**Instatur.** Hinc ſequitur, quòd ille actus non attingat ſolam concluſionem, ſed etiam præmiſſas; ergò erit idem actus, qui attingit tam hanc quàm illas. Probatur ſequela, dependentia eſt eſſentialitèr relatio, ſed hæc non poteſt concipi ſine extremis; ergò nec actus ille cognoscens concluſionem dependentem à præmiſſis ſine cognitione præmiſſarum. R. negando ſequelam, quia licèt fuerit dictum, quòd per concluſionem attingantur præmiſſæ, non fuit tamen aſſertum, quòd eodem actu, ſed quòd diverſo. Ad probationem minorem dico, quòd non requiritur ad relationem, quod eadem cognitione percipiatur relatio & extrema ſimul, ſed ſufficit, quòd diverſis actibus, ſed eodem instanti temporis ſimul, ſicut neq; cum cognoviſſimus effectum, eodem actu cognoviſſimus cauſam, ſed diverſo, licèt ſimul tempore.

## QUÆSTIO II.

*In quo genere cauſæ Præmiſſæ concurrant ad concluſionem?*

**Certum eſt** apud omnes, quòd Concluſio dependeat eſſentialitèr à præmiſſis, eaſq; neceſſariò reſpiciat, utpote cum ſit cognitio deducta ex iis, hinc in quæſtionem vocatur, an concurrant in genere cauſæ formalis, vel materialis, vel etiam finalis, aut efficientis? & poſſet quidem quæſtio etiam moveri de præmiſſis objectivis, quia tamen hæc non ſunt univerſalitèr cauſæ, utpote cum frequentèr ſint ab effectu, vel alio aliquo extrinſeco, hinc tantummodò reſolvenda eſt quæſtio, iis ut formalitèr ſumptis. Circa quam materiam quadruplex eſt ſententia: Prima dicit: quòd ſi in præmiſſis admittenda eſt aliqua cauſalitas reſpectu concluſionis, tanquàm cauſæ materialis extrinſecæ ex eo, quòd termini ex quibus conſtat concluſio deſuman-

*Quomodo intellectus poſſit tendere in objectum formale & materiale.*

desumantur à præmissis adeoq; videntur subministrare materiam. Ita Rubion, Durand. Apoll. Secunda sententia dicit: Præmissas concurrere in genere causæ formalis extrinsecæ quatenus assensus præmissarum informando & illuminando intellectum determinat illum per representationem objecti & medii ad hanc & non illam conclusionem elicendam. Ita Hurtadus, Morifanus, Arriaga. Tertia dicit: quod conclusio non dependeat à præmissis, earumq; assensus, tanquam à causa efficiente, sed solum esse conditionem sine quâ non. Ita Averſa Amicus &c. Quarta deniq; opinio tenet assensum præmissarum concurrere ad conclusionem, in genere causæ efficientis: ita D. quæst. prima Prologi ad secundum, ubi contra D. Thomam arguendo ait: Præterea supponit, quod principia sunt distinctiva habitus conclusionis in alio genere causæ, quàm ut principia effectiva, quod falsum est, quia si aliquam rationem causæ distinctivæ habent, ad habitus istos non habent, nisi rationem causæ effectivæ. Scotum sequuntur Complut. Foletus, Ruvius, Didacus à Jesu & major pars Thomistarum. Itaq; supponendo, tanquam in dubitatum, quod præmissæ non sint causa finalis, quia potius præmissæ assumuntur propter conclusionem, quàm e contra, ideo

effectum, sed præmissæ virtualiter continent suum effectum ex Philosopho 1. Post. 1. & 2. deinde effectus debet assimilari causæ suæ, sed conclusio si non totaliter, plurimum, assimilatur præmissis, quia ex certitudine evidentia, & veritate præmissarum mensuramus certitudinem, evidentiam & veritatem conclusionis, ergo: tandem requiritur, quod causa sit prior suo effectui, & effectus à causa dependeat, sed hoc totum habent præmissæ, respectu conclusionis, ergo. Probatur mi. quia inter conclusionem & præmissas est dependentia tam essentialis, ut si præmissæ non essent in intellectu, impossibile esset intellectum facere conclusionem, quia conclusio, ut talis, dicit ordinem ad præmissas, à quibus accipit suam veritatem, & si intellectus eliceret, verbi gratiâ, hanc propositionem; ergo Petrus est risibilis, non esset conclusio, quia hæc est scientia & discursus, illa autem tantum simplex propositio & iudicium.

**Dices:** Cum Amico & Averſa, ex hoc sequi, præmissas esse tantum condiciones, sine quibus non, adeoq; non concurrere effectivè. Sed **Contra.** Tunc requiritur conditio sine quâ non, quando agens est indispotum, vel impeditum, & illa conditio est quædam impedimentum ablatio, ideoq; non dicitur causare effectum, ut patet in approximatione ignis, ad lignum, si autem agens & passum sint debite approximata, non impedita, nisi sequatur actio, signum est, quod agens non habeat adæquatam virtutem, sed petit suppleri ab alio, alias præcluderetur omnis via ostendendi activitatem causarum, posset enim quilibet pro libitu dicere omnem causam secundam esse conditionem sine quâ non, & effectum à sola prima dependere, si ergo intellectus ex se non impeditus ad agendum, nec ad recipiendum actum conclusionis haberet completam virtutem produendi conclusionem, produceret eam sine præmissis.

**Dices** Cum Arriaga: Illas tantum præmissas esse causas formales extrinsecas, non vero efficientes. Sed **Contra.** Secundum Arriagam, & alios ejusdem opinionis, illæ præmissæ, ut sunt causæ formales extrinsecæ, tantum illuminant intellectum & proponunt, seu approximant subjectum, sed certum est, quod præmissæ circa conclusionem adhuc plus faciant; ergo non sunt tantum causæ formales extrinsecæ. Probatur mi. Quia apprehensio illuminat intellectum & etiam proponit intellectui iudicandum, sed majorem causalitatem habent præmissæ, circa conclusionem, quàm apprehensio circa iudicium, cum assensus conclusionis illativè, & quasi per impulsum inferatur, non sic iudicium ex præmissis. Sed directè conclusionem impugnando in contra

**Arguitur.** Si quis proponat hoc aut simile Enthymema: *Omne animal rationale est homo; ergo Christus est homo,* consequens non causatur ab antecedente; ergo præmissæ non sunt causa conclusionis effectiva; probatur ant. nulum naturale potest causare aliquid supernaturale, sed tò *omne animal rationale est homo,* est naturale & tò *Christus est homo, est supernaturale;* ergo non potest causari ab illo antecedente. R.

IV.

Non licet inferri esse tantum conditiones.

V.

Nec esse causas formales.

VI.

In quolibet enthymemate subintelligitur minor.

**II.** Dico I. Præmissæ non concurrunt ad conclusionem in genere causæ materiali, vel formalis proprie loquendo. Hæc est contra 1. & 2. sent. & Probatur: Quæcumque concurrunt in genere causæ formalis & materialis, debent ita concurrere, ut constituant aliquid unum compositum, quorum unum se habeat per modum actus, & alterum per modum potentia, sed præmissæ non sic concurrunt; ergo non concurrunt in genere causæ formalis & materialis ma. patet ex omnibus compositis Physicis. Probatur etiam minor, quia ex præmissis & conclusione non resultat unum per se Physicum, ergo. Probatur ant. quia sunt diversi actus præmissarum & conclusionis, quorum quilibet in sua entitate completus est, nec habet se ad alterum per modum alicujus perfectivi, vel perfectibilis. Dixi proprie loquendo, quia non intendo absolute negare, præmissas saltem objectivas posse aliquo modo dici causa formalis & materialis conclusionis, quatenus termini conclusionis sunt termini præmissarum materialis, formalis vero, quatenus præmissæ specificant conclusionem, quæ specificatio videtur posse pertinere ad genus causæ formalis saltem extrinsecæ.

**III.** Dico 2. Probabilis est, quod præmissæ effectivè concurrant ad assensum Conclusionis. Ita Doctor supra, cuius proinde etiam auctoritate, probatur conclusio, sicut etiam D. Augustini in Dialect. 3. ubi ait de Conclusionem: *Summa confictor ex confectis,* scilicet conclusio efficitur à præmissis & lib. 1. contra Crescon. 20. *velit nolit efficitur.*

**Probatur etiam ratione:** Quia omnia indicia ex quibus à posteriori colligi potest, quod aliquid sit alterius causa effectiva, reperiuntur in præmissis respectus conclusionis; ergo verè efficienter concurrunt. Probatur ant. causa efficiens debet virtualiter continere suum

F. Amandi Hermann Logica.

in hoc, & quolibet alio simili enthymemate, sub intelligi istam minorem: Christus est animal rationale, quæ est in intellectu licet non proferatur voce, estq; de fide & ideo potest causare hanc conclusionem, quæ non est de fide, sed potius conclusio Theologica, quid sit autem Conclusio Theologica, dicitur in eadem scientia. Sed

**Instatur.** Nulla causa potest aliquid causare Physicè, nisi existat, sed illa minor non existit, ergò non potest causare illam conclusionem. *R. 1.* distinguendo ma. nisi existat Physicè, vel moralitèr, concedo ma. nisi existat Physicè, nego ma. quia sacramenta causant gratiam (secundùm aliquam probabilem sententiam etiam Physicè) quando non existunt, ut patet, quia quando proferitur forma in baptisate completè non existunt amplius partes priores. Imò in casu, quo obex positus est, quando reviviscunt produunt suum effectum etiam quodammodo non moralitèr existens, & distincta similiter mi. nego consequentiam. *R. 2.* negando mi. quia illa minor verè existit in intellectu, licet non proferatur, adeoq; habet adhuc veram rationem & efficientiam, ad producendam conclusionem.

**Urgetur.** Potest haberi assensus Conclusionis absq; eo, quòd existant præmissæ Physicè, vel moralitèr, vel in intellectu; ergò præmissæ non sunt causa conclusionis; probatur ant. quia potest aliquis recordari alicujus conclusionis, quam etiam proponit absq; eo, quòd recordatur, quòd ipsam probaverit his, vel illis præmissis; ergò potest haberi assensus Conclusionis absq; eo, quòd præmissæ existant Physicè, vel moralitèr, vel in intellectu. *R. dist. ant.* Potest haberi conclusio, quæ conclusio, nego ant. quæ propositio, concedo ant. & nego consequentiam. Itaq; conclusio, quæ conclusio essentialitèr dependet à præmissis, quia est tertia mentis operatio, quæ in hoc consistit, quod unum ex alio inferatur.

**Replicatur.** Dependencia non arguit autem causalitatem, quia secunda mentis operatio non potest esse sine prima, & tamen prima non est causa secunda, volitio haberi nequit sine intellectu, & tamen intellectio non est causa volitionis; ergò nulla solutio per dependentiam. *R. disting. ant.* dependencia causæ efficientis non arguit causalitatem; nego ant. ad primam probationem dico, secundam mentis operationem causari, quandoq; à prima si termini illi sint per se noti & evidentes, quamvis autem non ordinariè id præstant non est tamen paritas, quia conclusio sequitur necessariò per aliquam vim impulsivam & effectivam, non sic autem iudicium ex terminis apprehensis, nisi sint evidentes & ex se noti, & per hoc patet etiam ad probationem secundam, quia volitio proposita intellectu non necessariò sequitur, nec ab ipsa specificatur intellectu sicuti conclusio à præmissis. Quod si tamen præcavere velis ad hanc replicam. Responde ad Utrionem 2. dist. consequens non sunt causa conclusionis huius, quam quis haberet, quando recordaretur alicujus conclusionis & non recordaretur dis-

curus clarè, sed tantùm in confuso, concedo consequentiam, non sunt causa conclusionis, quando actu sunt proposita, nego consequentiam, & Ratio est, quia conclusio est distinctæ rationis ab illa, quam habet quis dependentèr à præmissis actu propositis, si quidem prima dependet à memoria alicujus discursus, in confuso & consequentèr, hæc conclusio à discursu in confuso ac proinde minus certa minusq; clara est, secunda vero dependet ab actuali discursu determinato à quo certior, & clarior habetur conclusio, ac proinde etiam majorem evidentiam habet.

### QUÆSTIO III.

*Sub quâ ratione debeant esse præmissæ cum conclusione.*

**Hæc Quæstio** videtur ideo moveri ex eo, quòd præmissæ ab Aristotele vocentur priores, & quia etiam eas dixi veras esse causas, causa autem semper præcedere debet suum effectum eoq; esse aliquomodo prior, hinc dubitatur qualitèr debeant esse simul, ita tamen, ut adhuc possint dici priores. Circa quam materiam quintuplex est sententia. Prima dicit, quòd assensus præmissarum debeat tempore præcedere conclusionem, ejusq; assensum: ita Capreolus & plures alii & c. Secunda asserit, quòd major debeat quidem tempore præcedere, minor tamen debeat esse simul naturâ. Tertia verò, quòd Præmissæ debeant esse simul cum conclusione, non in se, sed per habitus ex assensibus, præmissarum relictis. Quarta, quòd assensus præmissarum debeat esse, cum assensu conclusionis, non per habitum, sed per actum recordationis. Ita Connimb. 1. Post. 1. q. 4. art. 2. Quinta deniq; sententia docet, quòd præmissæ in se simpliciter debeant esse, cum assensu conclusionis. Ita D. 1. Post. q. 8. & 9. & q. 3. Prol. ac Scotistæ & Thomistæ communiter. Pro quâ sententia intelligenda anteresolutionem

**Notandum,** Ex Doctore supra, præmissas dupliciter posse considerari primò, ut sunt quædam simplices propositiones, non applicatæ ad se invicem, nec ordinatæ in Syllogismo, & si sic considerentur non est dubium, quin major possit esse sine minore, & utraq; sine conclusione, & e contra. Secundò, ut subsunt dispositioni Syllogistica, & in tali statu iterum dupliciter spectari possunt, primò formalitèr, ut subsunt relationi causæ in ordine ad conclusionem veluti ad effectum, secundò fundamentalitèr, ut sunt causæ fundamentalis conclusionis, in quâ consideratione spectantur, secundum proprias naturas, & ut à relatione causæ præcendant. In utraq; ergò posteriori acceptione controvertitur, an assensus præmissarum quamvis tempore prius elicit, debeant nihilominus permanere & in eodem instanti esse cum conclusione: quo prænotato.

**Dico 1.** Præmissæ formalitèr spectatæ debent esse simul, non simultate solum temporis, sed etiam naturæ. Hæc est Scoti supra & communior.

**Probatum:** Quia præmissæ, ut dixi quæstione præcedenti sunt causæ conclusionis, sed

sed causa, ut causa, debet simul naturā existere, cum suo effectu; ergo etiam praemissae cum conclusione. Probatur mi. quia causa, ut causa formaliter dicit aliquid relativum, sed relativa sunt simul naturā & cognitione; ergo etiam causa, ut causa.

**Dico 2.** Praemissae fundamentaliter consideratae debent esse simul in eodem instanti, temporis non tantum per habitum, aut actum recordationis, nec minor sola, sed utraq; per proprias entitates. Haec est etiam communis.

**Probatur prima pars** videlicet, quod debeant simul existere, quia sunt causae conclusionis, causae autem dum actu causant existere debent; ergo etiam praemissae.

**Probatur secunda pars**, quod non per habitum: Quia habitus est solummodo causa similitum actuum illis actibus a quibus est genitus, sed assensus praemissarum, & assensus conclusionis non sunt similes, quia sunt specie diversi; ergo habitus praemissarum non potest concurrere ad actum scientificum conclusionis, sed tantum ad assensum praemissarum. Confirmitur: Quia habitus non datur potentiae, ad simpliciter operandum, sed ad faciliter operandum, quia potentia sine habitu potest producere & elicere actum, sine ullo prorsus habitu, sed praemissae requiruntur in intellectu ad simpliciter operandum, ergo. Probatur mi. quia impossibile est, ut intellectus conclusionem producat sine praemissis.

**Probatur tertia pars** videlicet, quod non sufficiat actus tantum recordationis. Quia tertiae mentis operatio essentialiter dependet à secunda, ita quod sine ea non possit causari, sed ista determinatis provenit à praemissis, ergo sine praemissis actu existentibus fieri nequit, nec actus recordationis defectum supplere potest, quia est imperfectior, & non continet in se assensum praemissarum.

**Probatur deniq; ultima pars:** Quia utraq; praemissa est causa; ergo utraq; simul existere debet & non una solum, quia tam bene ab una, quam ab altera dependet, nec est major ratio de una, quam de altera: cum utriusq; extremitates ingrediantur conclusionem. Sed propter habitus in contrarium sic

**Arguitur.** Habitus est quaedam virtus & semen principiorum; ergo continet in se activitatem illorum, adeoq; poterit concurrere ad conclusionem, sicut praemissae. R. dist. ant. est virtus & semen principiorum parziale, concedo, totale, nego, & distingo similiter consequens, & nego alteram consequentiam. Itaque, quia habitus non continet totaliter actum, quia eum totaliter producere nequit, sed requiritur potentia simul, ideoq; non potest efficere, quidquid potest efficere actus.

**Instatur.** Idem habitus est sufficiens in moralibus, ut tendat in intentionem & etiam in electionem; ergo etiam idem habitus principiorum, ut tendat in conclusionem & principia, adeoq; non erit causa solum partialis, sed etiam totalis. R. negando consequentiam utramq;

disparitas patet ex dictis supra, quia in intentione & electione reperitur eadem bonitas, in praemissis autem & conclusione non reperitur eadem veritas.

**Dico 3.** Non obstante illa similitudine praemissarum & conclusionis stat adhuc prioritas naturae. Nec haec habet in communi sententia difficultatem.

**Probatur breviter:** Omnis conclusio dependet essentialiter à praemissis veluti à causa, sed omnis dependentia arguit prioritatem aliquam, non aliam potius, quam naturae, ergo.

**Dices:** Si praemissae, ut priores cognoscuntur; ergo tunc ignoratur conclusio, quae est causatum, sed ignorato causato, ignoratur etiam causa, ergo. R. ex D. q. 9. Sup. ut Maffrius citat & habet Argumentum valere de praemissis formaliter, in ratione causae acceptis, non verò de praemissis fundamentaliter sumptis. R. 2. Aliud esse praemissas esse priores naturā, id est independentes à conclusione, & aliud, esse cognititas, non cognita conclusione, conclusio itaq; non dicit, quod cognoscantur, ut causae, non cognita conclusione, sed esse naturā priores, id est independentes à conclusione.

QUAESTIO IV.

An posito assensu praemissarum in intellectu necessitetur ad assentiendum Conclusioni?

**Sensus quaestionis est:** An videlicet, quando intellectus apprehendit praemissas, ut evidentè veras & ex illis sequi conclusionem, possit tunc non assentiri conclusioni, licet jam assenserit, & concesserit, ac judicaverit praemissas veras & legitime dispositas, an verò necessario debeat elicere assensum circa conclusionem, per assensum autem nihil aliud intelligo, quam iudicium illud, quo intellectus iudicat aliquam propositionem esse veram, sicut per dissensum, iudicium, quo intellectus iudicat aliquam propositionem esse falsam. Pro clariori itaq; intelligentia

**Notandum.** Ex Scoto quodlib. 16. art. 1. *Necessitatem*, prout ad propositum inservit, seu determinationem potentiae ad actum esse duplicem. *Prima est contrarietatis & specificationis.* Secunda verò *exercitii, seu contradictionis.* *Necessitas specificationis* est, quae potentia necessitatur & determinatur ad aliquam determinatam speciem actus, ita ut si eliciat ullum actum circa objectum ille actus debeat esse huius speciei potius, quam oppositae, ita tamen, ut possit elicere, vel non elicere actum hunc, sic voluntas se habet respectu boni in quo nullam reperit rationem mali, licet enim voluntas possit velle vel nolle bonum, tamen si se determinat ad ullum actum circa bonum, ille actus erit potius volitio, quam nolitio, voluntas enim non potest nolle bonum, quia bonum, licet posset illud non velle, unde non velle & nolle inter se distinguuntur, quia nolle est actus positivus, non velle est negatio volitionis positivae, quare potest quis non velle, qui non potest habere nolle, ut

VI. Est tamen aliqua prioritas.

VII.

II. alia est necessitas exercitii, alia contradictionis.



pater in dormientibus. Necessitas exercitii est, quâ voluntas ita necessitatur, ut non possit non elicere actum, sic necessitatur potentia viviva, quia posito presente objecto & potentia non impeditur, non potest non videre, hæc necessitas tollit libertatem, non tamen primam.

III.  
Est etiam  
similis duplex  
libertas.

**Notandum secundo:** Huic duplici necessitati duplicem correspondere libertatem, Libertas videlicet contrarietatis & specificationis, & Libertas contradietionis & exercitii, Libertas contrarietatis est illa, quâ potentia potest elicere hunc actum, vel ejus contrarium, verbi gratia, quâ voluntas potest elicere volitionem, vel nolitionem circa objectum, item quâ intellectus ex imperio voluntatis potest elicere assensum, vel dissentium. Libertas contradietionis est, quâ potentia potest elicere, vel non elicere actum, verbi gratia, quâ voluntas potest elicere, vel non elicere volitionem objecti, & idem dicitur de intellectu ex imperio voluntatis, & ideo hæc dicitur contradietionis, quia potest potentia habere actum, aut negationem ejus, quæ est contradictorium actus. Contrarietatis dicitur talis, quia potest hunc habere actum positivum, aut alium contrariè oppositum sibi, sola igitur necessitas exercitii tollit libertatem simpliciter, esto enim: voluntas non possit habere nolitionem boni & consequenter necessitetur necessitate specificationis potest tamen nullum actum elicere circa bonum, & sic est libera libertate contradietionis non contrarietatis. His itaq; prænotatis

IV.  
Intellectus  
necessitatur  
ad assensum  
conclusionis,

**DICO I.** Posito assensu præmissarum in se verarum & bene dispositarum ac applicatarum intellectus necessitatur ad conclusionem necessitate specificationis. Ita Doctor 1. Post. 8. D. Thomas, Durandus &c.

**Et probatur primò:** Autoritate D. Augustini. Dialect. 3. Ex duabus sententiis (id est præmissis) confectis illa summa sequitur, quæ jam necessariò concedatur. Et in Enchiridio ad Laur. 13. Connexio ait: ratiocinationis velut inevitabiliter compellit hoc dicere.

**Probatur secundò:** Autoritate Arist. qui Syllogismum definit 1. Prior. 1. & 1. Top. 1. Quòd sit oratio in quo quibusdam positis (id est causis) aliud quoddam ab his, quæ posita ex necessitate accidunt, quòd hæc sint.

**Probatur Conclusio tertio**  
Ratione: Implicat intellectum aliqua duo judicare unita, tertio saltem in creatis, & postea non judicare ea esse unita inter se; ergò implicat, quòd extrema conclusionis judicet esse unita cum medio, quin ea judicet esse unita inter se in conclusione; probatur aut. quia implicat intellectum dissentire primo principio ex terminis noto, quale est illud principium in creatis quæcumq; sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se, ergò.

V.

**Dices:** Intellectum ex se quidam non posse, bene tamen ex imperio voluntatis. Sed Contra, sic se habet intellectus ad verum, sicut voluntas ad bonum, quia sicut objectum adæquatam volitionis est bonum & objectum adæquatam nolitionis est malum, ita objectum

adæquatam assensus est verum, & objectum adæquatam dissentus est malum, sed voluntas non potest nolle bonum aliàs tenderet extra suum objectum adæquatam, ergò non potest intellectui imperare, ut dissentiat vero, quòd probatur: quia voluntas non potest habere majorem libertatem, aut potestatem in imperando actum intellectus, quàm in eliciendo suos, ergò.

**Confirmatur & Probatur**

secundò simul Conclusio: Non potest intellectus de aliqua re judicare dissentiendo, nisi præcesserit aliqua ad dissentiendum apprehensio, sed si intellectus concessit & admisit præmissas, non præcessit aliqua apprehensio falsi; ergò intellectus non potest judicare vere esse falsum, consequenter necessitabitur necessitate specificationis: major patet, quia necessariò ante quòdlibet judicium debet prius præcedere apprehensio; ergò: minor autem supponitur, ergò.

**Probatur tertio:** Non potest intellectus dissentire conclusioni, nisi dissentiat præmissis; ergò posito, quòd assenserit præmissis, necessariò debet assentire conclusioni; probatur consequentia, per præmissas specificatur conclusio; ergò si assensit præmissis, debet etiam assentire conclusioni.

**Probatur quartò:** Si posset intellectus meus non assentire conclusioni, huic factæ in Darii præmissis istis: Omnis Mater diligit Filium, Medea est Mater, visis & concessis, negare hanc conclusionem: ergò Medea diligit Filium, posset simul assentire duobus contradictoriis, sed hoc est impossibile, ergò. Probatur sequela, quia si dissentit huic, Medea diligit Filium, debet necessariò hanc admittere aliqua Mater non diligit Filium, sed hæc est contradictoria majoris, jam ante concessæ; ergò assentiret duobus contradictoriis. Sed

**Opponitur Autoritas Aristotelis 2. Priorum,** ubi dicit: quòd contingat aliquem scire Mulam esse sterilem hanc esse mulam & tamen dubitare adhuc, an habeat aliquid in ventre; ergò intellectus non necessitatur ad assensum conclusionis; probatur consequentia, tantum repugnat, quòd conclusio aliqua certa vertatur in dubium quantum si negatur; ergò si de ea dubitari potest, potest eidem simpliciter dissentire. R. Ex Doctore Aristotelem intelligendum sic, scilicet ad assensum conclusionis non sufficere assensum præmissarum, sed etiam requirere quòd considerentur, ut sibi invicem connexæ & coordinatæ, unde in forma Responderi potest dist. ant. Contingit aliquem scire &c. & dubitare, an habeat aliquid in ventre, si propositiones secundum se spectentur, concedo ant. si considerentur sub forma syllogistica & majoris & minor sit concessa, nego ant. & consequentiam, cum consequentia probationis. Sed

**Instatur:** Intellectus in talibus præmissis etiam syllogisticè dispositis, est adhuc despotice subiectus imperio voluntatis, ut docet Aristoteles 1. Polit. 3. ergò potest adhuc prohibere, quòd assentiat & præcipere, quòd dissentiat, R. negando consequentiam, quia licet sit subiectus voluntati, tamen positis omnibus prærequiritis ad agendum necessitatur ad agendum ex

eo, quòd potentia sit naturalis, unde voluntas quidem impedire & facere potest, ut non assentiat præmissis, si tamen concedit assentiri præmissis, non potest amplius impediri, ut clarè patet ex probatione secunda sequentis conclusionis.

**Urgetur:** Contingit defacto, ut Philosophi satis experti in regulis Logicæ concedant has præmissas ex convenientia voluntatis: Omne totum est majus sua parte, linea in infinitum protensa est totum, & tamen negat secundum regulas Logicæ illatum: ergò linea in infinitum protensa est major sua parte, quia putant, quòd pars infiniti sit infinita, & quòd unum infinitum additum infinito alteri, non sit majus ipso; ergò solum ad negandas præmissas bene dispositas voluntas intellectum determinare potest, sed etiam iis concessis ad dissentiendum conclusioni. **R.** negando ant. nullus enim, qui admittit eas præmissas, negat, aut negare potest conclusionem, sed illi qui negant conclusionem, negant etiam majorem, aliàs deberet assentiri duabus propositionibus contradictoriis, quod est impossibile, quia si admittit præmissas negaret hanc conclusionem, linea in infinitum protensa est major sua parte deberet admittere hanc; ergò aliquid totum non est majus sua parte, quod est contradictorium majoris concessæ. Hinc

**DICO 2. positis & concessis præmissis & visâ bonitate consequentiæ, necessatur intellectus etiam ad assensum necessitate exercitii.** Hanc post Doctorem plurimi tùm Recentiores, tùm alii tenent. Est etiam D. Augustini, ubi non modo de conclusionibus veris, sed etiam probabilibus & falsis hæc dicit: *Nemo ad conclusionem falsam consequentem (id est necessariò) impellitur, nisi prius consenserit falsis, quibus eadem conclusio, velit nolit efficitur.*

**Probatur ratione primò.** Agens naturale ultimè dispositum, & non impeditum positis omnibus prærequisitis, non potest non agere, sed intellectus est tale agens, & quando præmissæ adsunt cum assensu illarum, intellectus habet omnia requisita ad eliciendum assensum conclusionis; ergò necessariò ipsum eliciet.

**Dices:** Si intellectus necessariò eliciet assensum conclusionis, non erit necessarius, nec possibilis aliquis habitus ad conclusionem eliciendam, sed hoc est contra communem, ergò. Probatur sequela, quia ad potentias naturales non datur ullus habitus. Sed &c. ergò. **R.** hoc argumentum non solum militare contra conclusionem, sed etiam contra assensum præmissarum & principiorum, si etenim naturalitèr iudicet præmissas, gratis ponetur habitus, cum ad potentiam naturalem non datur habitus, ut argumentum asserit, cum tamen adversarii etiam admittant habitus principiorum, & si argumentum universalitèr concluderet, omnes omninò habitus intellectuales tolli deberent, cum omnes actus intellectus sint naturales. **R.** ergò secundò, quòd habitus tunc maximè serviant & utiles sint, cum præmissæ ita clarè non disponuntur, nec ita evidentes & certæ apparent, tum ut intellectus facilè assentiat conclusioni

extra præmissas propositæ per modum simplicis propositionis.

**Probatur Conclusio secundò: XII.**

Si posset intellectus positus & concessis præmissis non assentire conclusioni, hoc deberet provenire ex eo, quòd voluntas distraheret intellectum ab assensu præmissarum, sed hoc fieri nequit, ergò. Probatur mi. Quia voluntas, aut distrahit intellectum in illo instanti, aut in alio, neutrum dici potest, ergò. Probatur mi. quia si distraheret illum in aliquo instante sequente, id fieret nimis tardè, quia jam præcessisset assensus conclusionis; nec in eodem & præsentis distrahere potest, quia jam concessit eam, aliàs non concederet præmissas. Sed pro Contraria sententia

**Arguitur primò:** Bonum non potest necessitare voluntatem necessitate exercitii; ergò nec verum poterit necessitare intellectum. **R.** negando consequentiam, quia voluntas est ex natura sua potentia libera, quæ positis omnibus requisitis ad agendum agere potest, vel non agere, non sic autem intellectus, qui est potentia necessaria adeoq; positus omnibus requisitis ad agendum, necessariò agere debet.

**XIII.**  
*Intellectus potest necessitare licet non voluntate.*

**Instatur.** Quòd intellectus sit potentia necessaria, non sequitur, quin ab alio impediri possit; ergò quòd sit necessariò, non statim sequitur, debere eum agere positis omnibus requisitis: probatur ant. Potentia locomotiva est potentia naturalis, sed hæc potentia potest impediri à voluntate; ergò etiam intellectus, licet sit potentia naturalis, poterit impediri. **R.** negando ant. cum consequentia probationis: quia quòd intellectus non possit impediri à voluntate non præcisè provenit ex eo, quòd sit potentia naturalis, sed quia est potentia naturalis, non subordinata quoad omnes suos actus voluntati, cum in multis ipsam præcedat, & voluntatem manuducat ad volenda & imperanda, potentia verò locomotiva est simpliciter, quoad omnes suos actus subordinata voluntati, & nullo modo est cognoscitiva.

**Arguitur secundò. Quando intel-** **XIV.**

lectus assentit his præmissis: *Omnia homo est animal, omne risibile est homo*, non necessatur ad inferendam hanc conclusionem: *Ergò omne risibile est animal*, quæ est conclusio deducibilis ex illis præmissis in *Barbara*; ergò non necessatur concessis præmissis inferre determinatam conclusionem; probatur ant. quia posset istam inferre; *Ergò aliquid risibile est animal*, quæ est deducta ex iisdem principiis in *Baralipon*, & hanc etiam non determinatè infert, quia posset inferre priorem & consequentèr non necessabitur, quia non est assignabile, ad quam potius præ altera necessitaretur. **R.** dist. ant. & antecedens probationis, si videat bonitatem consequentia in una & non in altera, nego ant. si non, concedo ant. & nego consequentiam. Itaq; intellectus nunquam necessatur ad assensum conclusionis, nisi videat bonitatem consequentiæ, si ergò intellectus prius videat bonitatem consequentiæ in *Barbara*, necessitabitur ad assensum conclusionis in *Barbara*, si verò videat prius bonitatem consequentiæ in *Baralipon*, necessitabitur

fitabitur ad assensum conclusionis in Baralip-ton.

**Instatur:** Supponatur, quòd in eodem instanti videat intellectus bonitatem consequentiae in utroq; modo, saltem tunc non necessitabitur ad unam conclusionem potius, quàm ad alteram, nempe non magis ad eam, quæ sequitur ex *Barbara*, quàm eam, quæ sequitur in *Baralip-ton*, ergò. R. quòd tunc necessitabitur ad assensum conclusionis in *Barbara*, cum hæc conclusio sit magis evidens, utpote in modo directè concludente perfectè, & consequenter movebit fortius intellectum, conclusio verò in *Baralip-ton*, cum sit indirecta non tam fortiter movet, quia quando intellectui proponuntur duo objecta, quorum unum est evidens, & alterum est minus evidens, tunc rapitur intellectus ab objecto evidentiori & fortius movente.

**Urgetur.** Hinc sequeretur, quòd intellectus possit assentiri præmissis & simul videre bonitatem consequentiae, & tamen non necessitari ad assensum, ut patet in prædicto casu; ergò intellectus non necessitatur ad assensum visâ etiam bonitate consequentiae; probatur sequela, quia tunc videtur bonitas consequentiae in *Baralip-ton*, & tamen intellectus non necessitatur ad eam, ergò. R. dist. sequelam. Si intellectus non rapiatur ab objecto evidentiori & fortius movente, nego sequelam, si sic concedo sequelam, tunc etenim impeditur intellectus ab objecto fortius movente, ne eliciat assensum conclusionis inevidentioris. R. 2. Quòd quando intellectus in eodem instanti, videret bonitatem consequentiae, utriusq; posito assensu præmissarum, quòd tunc intellectus necessitetur ad assensum utriusq; conclusionis eliciendum, vel saltem ad eliciendum assensum conclusionis evidentioris in primo instanti, & ad assensum minus evidentis in secundo instanti, qui assensus eliceretur in primo instanti, nisi ab objecto fortiori impidiretur.

xv.

**Arguitur tertio.** Si sufficeret assensus præmissarum, ad assensum conclusionis. Sequeretur, quòd si quis assentiretur uni principio, necessariò deberet scire omnes conclusiones ex illo deducibiles, sed hoc est inconveniens, ergò: probatur sequela, quia non esset ratio, quare potius ad unam determinaretur, quàm ad alias, cum omnes æqualitè sequantur, ergò. R. negando sequelam, ad probationem dico, rationem esse, quia illud commune principium, ex quo plures deduci possunt conclusiones, applicatur & determinatur per subsumptionem, seu per propositionem, quæ dicitur minor, ut in exemplo patet isto, si quis diceret: *Omne animal rationale est vivens*, ex quo deducere posset tam benè, quòd Petrus sit vivens, quàm quòd canis aut cattus, nihilominus si inferatur, quòd Petrus sit vivens, determinatur per hanc subsumptionem, *sed Petrus est animal rationale*, ex quâ subsumptione determinatur postea intellectus, ut inferat potius; Ergò Petrus est vivens, quàm quòd inferat; ergò canis aut cattus est vivens. Sed

**Instatur.** In Enthymemate non potest conclusio determinari per subsumptionem; ergò nulla solutio; probatur ant. quia ibi nulla est, ergò. R. 1. dist. ant. non determinatur per subsumptionem explicatam, concedo, implicitam, nego ant. & consequentiam, & similiter dist. ant. & negatur consequentia absolute; unde R. negando consequentiam, quia nec de enthymemate hic agitur quæstio, sed de integro Syllogismo, in quo formalitè & explicitè duæ præmissæ præmittuntur, hinc tamen nec sequitur, quòd omnes conclusiones sequi debeant, quæ sequi possunt, quia deest determinatio ad omnes, unde una tantum sequitur, quæ sequi deberet, apprehenditur ita, ut posito solo antecedente, intellectus non statim necessitetur ad inferendam conclusionem determinatam, propter antecedentis indifferentiam.

**Quæres,** An si sint præmissæ tantum probabiles, & illis assentiat intellectus, an tunc necessitent quoq; intellectum ad inferendam conclusionem? R. intellectum duplitè posse considerare præmissas, eisq; assentiri, seu duplicitè posse eas intellectui nostro objici: Primò modò, ut probabiles sunt, cum formidine actuali de opposito, & sic si objiciantur intellectui non necessitant, eum ad inferendam conclusionem necessitate exercitii, quia tunc non cognoscit eas veluti absolute & determinatè veras, nec est determinatus ad unam potius, quam aliam inferendam. Secundò modò præmissæ probabiles objici possunt intellectui, ut determinatè veræ sunt, sine formidine actuali de opposito, & si sic intellectus apprehendat præmissas ut veras, necessitabitur necessitate exercitii ad inferendam conclusionem, quia intellectus vero ut vero non potest dissentiri, nec potest non assentiri, cum sit potentia naturalis à voluntate non impedibilis nisi indirectè.

**Quæres secundo.** An assensus Conclusionis, ita necessariò dependeat ab assensu præmissarum, ut nec naturalitè, nec supernaturalitè sine eo haberi queat? ad hoc respondeo Conclusionem &

**Dico 3.** Assensus conclusionis etiam per potentiam absolutam est inseparabilis ab assensu præmissarum. Ita Mast. disp. 11. Log. q. 5. n. 37. &c. Probatur, propria passio non est separabilis à suo subjecto etiam per potentiam Dei absolutam, ut dixi agendo de proprio, sed dependentia à præmissis est passio conclusionis, quæ conclusionis, & ipsi realitèr identificata, ergò.

**Dices:** Præmissæ sunt causa efficiens conclusionis, sed certum est, quòd Deus possit supplere causalitatem causæ efficientis; ergò potest producere conclusionem sine præmissis. R. concessâ ma. dist. mi. Potest Deus supplere causalitatem causæ efficientis in absolutis, concedo, in respectivis, nego mi. & consequentiam. Conclusio autem ut conclusio habet rationem respectivi ad præmissas.



DISPU-

# DISPUTATIO IV. DE POSTERIORI ANALYSI, &c.

Cur hæc materia intituatur de Posteriori Analyfi, dixi satis in difputatione precedenti, unde hic in eangam de Demonstratione, quam, ficuti etiam omnem scientiam negarunt cum Academicis negavit tum Plato, tum Socrates; hic nihil omnino nos scire afferens, ille vero nostrum scire nihil aliud esse affirmans, quam reminisci, unde docebat teste Laërtio, animas in corporibus existentes nullam de novo acquirere scientiam, existimabat itaq; quod animabus, antequam corporibus unirentur, fuerint concretæ & congenitæ omnes omnino scientiæ, habitusq; intellectuales, verumtamen ob unionem cum corpore hoc terrene & crasso ad quod ob delicta in summum Numen commiffa, veluti ad atrum & tetrum carcerem damnatæ & incluse sunt, omnium omnino rerum fuerint oblitæ. Cujus et iâ opinionis fuit Pythagoras, ut D. Aug. lib. 12. de Trit. cap. 16. testatur, & eadem sententia tribuitur Origeni à Cominib. hic art. 1. Contra quos Authores talè & subtiliter suo modo difputat D. Auguft. lib. contra Academicos, quod etiam prius breviter faciam & postmodum ad ipsam demonstrationem explicandam accedam. Sit itaq;

## QUÆSTIO I.

An detur in nobis Demonstratio?

**Delirium** Antiquorum supra relato- rum fultulit fides orthodoxa, nam tum Leo primus ad Episcopum Afericenfem Tuburium, tum Concilium Bracharenfe primum capite sexto determinavit contrarium. Unde

**Dico I.** Datur in nobis vera scientia & demonstratio de novo etiam pro hoc ftatu acquisita. Ita Commanis torrens Peripateticorum.

**Probatur primò:** Autoritate D. Auguftini, qui tres libros contra Academicos composuit eorum errores refutando, cum quibus aliquando fenferat, quare I. Retract. I. dicit: Contra Academicos, vel de Academicis primò scripsit eorum argumenta, quæ multi ingerunt veri invenendi desperationem ab animo meo, quia & me movebant, quantum possem rationibus amoverem, quod miserante Deo factum est, libro itaq; 3. cap. 9. Sic habet contra eos arguendo: Si vera est definitio Zenonis, non nihil veri novit, qui vel ipsam novit, si falsa non debuit constantiffimos commovere. Et iterum in eodem capite: Scimus eam definitionem (id est sententiam) Zenonis aut esse veram, aut esse falsam, non igitur nihil scimus: Ex quibus autoritatibus delumo argumentum meum, pro conclusione sic: Quicumq; scit nihil in rerum natura posse de novo sciri, scit aliquid, scilicet hoc ipsum, quod nihil sciri possit, sed Academici sciunt, ut ipsi adstruunt, quod nihil possit sciri; ergo sciunt ad minus hoc unum; ergo omnis scientia non est simpliciter tollenda, unde Confirmo hoc idem ad hominem arguendo, vel Academici sciunt certò, & infallibiliter non dari nullam scientiam in nobis, vel nesciunt sic certò, si non ergo pertinaciter afferunt & defendunt, quod ignorant: si verò cognoscunt; ergo in illis datur certa scientia & infallibilis.

**Probatur secundò:** Quia experimur in nobis multas cognitiones certas & infallibiles deductas ex legitime dispositis & ordinatis præmissis de quibus nullam possumus habere dubietatem, ut quod mea manus non fit tanta, quantum est corpus, quia deducitur per veram hanc demonstrationem: *Omne totum est*  
F. Amandi Hermann Logica.

majus suâ partè, corpus est aliquid totum; ergo est majus quam sua pars, qualis est manus & sic de pluribus aliis, quæ ex principiis primis deducuntur, ut quod quodlibet fit, vel non fit &c.

**Probatur 2. pars Conclusionis:** Quia defacto deducimus ex primis principiis de novo plures cognitiones, quas antè ignoravimus; ergo datur in nobis scientia de novo acquisita. Confirmatur: Quia aliàs frustra & inaniter laborarent omnes Profefiores & Magistri cum suis discipulis.

**Dico 2.** Omnis nostra doctrina fit ex præ- existente cognitione. Ita Aristoteles hic capite I. ubi in terminis hæc habet: Omnis doctrina omnisq; disciplina fit ex præexistente cognitione. Probatur: Quia omnis doctrina & disciplina, vel est de conclusione, vel de præmissis, vel saltem de ipsis terminis, si primum præcessit cognitio præmissarum etiam intellectiva: si secundum terminorum: si tertium sensitiva eorundem terminorum: bene tamen est notandum, quod non dicam omnem cognitionem fieri ex alia cognitione intellectiva præcedente, sed vel ex hac, vel ex illa. Nec etiam requiro, quod omnis cognitio præcedens debeat esse distincta, quia sufficit, quod sit confusa, ut dum per sensitivam distinctè cognosco singularia, confusè cognosco universalia: hinc

**Arguitur.** Incontra, si præcessit in nobis cognitio eorum, sequeretur, quod non esset opus adhibere adiutorium Magistri, consequens est falsum; ergo & illud, unde sequitur; probatur sequela, quia species cum intellectu sufficit ad cognitionem objecti etiam distinctam. & negando sequelam. Ad probationem dico, quod licet species & intellectus sint causa totalis actus, tamen ut potentia exeat in actum, aliquando requiritur aliquid aliud tanquam conditio sine quâ non, scilicet doctrina Magistri, & hoc maximè quando tantum habemus speciem in universali & in confuso, & hoc est, quod communiter dicitur: quod cognitio intellectiva procedat ab imperfecto ad perfectum, nempe à confusa ad distinctam & hæc solutio solvit dilemma Mænonis Philosophi, quod est secundum fundamentum Platonis,

II.  
Fit ex præ- existente cognitione.

III.

Q9 quo

quo oppressit Socratem, nimirum: quâ viâ investigabis Socrates id quod ignoras? si enim scis, non scis de novo; si non frustra laboras, quia et si occurrat non cognosces, quia non investigamus, id quod ex toto ignoramus, sed quod ex parte ignoramus, & ex parte cognoscimus, id est confusè.

**Instatur:** Si illa cognitio, sive clara, sive obscura fieret ex alia præexistente, ista fieret iterum ex alia, & sic in infinitum, sed processus talis omninò est cavendus, ergò. R. negando sequelam ma. quia datur status in cognitione sensitiva, quæ non prærequirit aliam sensitivam, vel intellectivam, & ratio, quia sensitiva habet sua objecta sibi proportionata, & intimè præsentia, secus est de intellectu, qui dependet à sensu pro hoc statu. Deinde intellectus, quia est discursivus, potest unum cognoscere per aliud, aliud est de sensu, qui non discurret.

**Urgetur.** Sicut se habet sensus ad sensibilia, ita intellectus se habet ad intelligibilia, sed intellectus prærequirit aliam cognitionem, ergò etiam sensus & consequenter non evitabitur processus. R. dist. ma. Quoad aliqua concedo, quoad omnia nego, & concessa mi. nego consequentiam. Unde tantum verum est, quod sicut sensus cognoscit sensibile, ita intellectus cognoscit intelligibile, & sicut una refertur in objectum prius ostensum, ita & altera, & in hoc est paritas, in alio tamen est disparitas, nempe quod intellectus discurret, sensus minimè, intellectus dependet à sensu, sensus non tamen e contra.

**IV.** **Dico 3.** *Omnis nostra cognitio intellectiva de rebus materialibus sit à præexistente cognitione sensitiva.* Hæc de se patet & Probatur: Quia idè cæcus colorem sibi præsentem non intelligit, quia sensus non percipit, & hoc idè, quia alligari sumus sensibus pro hoc statu viæ, à quibus intellectus dependet in operando.

**V.** **Dices:** Entia Rationis, negationes, privationes, relationes cognoscuntur ab intellectu; ergò omnis nostra cognitio intellectiva non dependet à sensibus. R. dist. ant. non cognoscuntur à sensibus directè, concedo, occasionalitèr, in quantum videlicet cognoscuntur fundamenta eorum, quod sufficit, nego, unde non est necesse, ut omnis cognitio dependeat à sensibus, ita ut illa, quæ cognoscit intellectus, cognoscat directè semper, sed sufficit, quòd vel directè vel indirectè & occasionalitèr.

## QUÆSTIO II.

*Quid & quotuplex sit Demonstratio?*

**I.** Aristoteles duas assignavit hîc cap. 2. Demonstrationis definitiones; Prima est, quòd sit *Syllogismus faciens scire*, & hæc definitio est desumpta ex fine demonstrationis, nam finis demonstrationis est generare scientiam. Secunda est, quòd demonstratio sit *Syllogismus constans præmissis primis, veris, immediatis, notioribus, prioribus causisq; conclusionis.* Circa quas definitiones nonnulli difficultatem movent, an sint bonæ? ad quod resolutivè

**Dico I.** *Utramq; definitionem bonam esse.* Hanc pauci inficiabuntur: & Probatur de prima: quia omni & soli competit: quod probatur etiam secundam, & confirmat communis Peripateticorum consensus. Unde eam explico per singulas partes; Tò *Syllogismus* ponitur loco generis, in quo convenit cum Topico & Sophistici, & per alias particulas ab iisdem differt: dicitur *verus*, quia, ut inquit Scotus, quòd scitur in demonstratione est verum, sed verum non potest sciri nisi ex vero, licet etenim ex falso aliquis syllogizare possit, & etiam licet aliquando ex falsis sequatur verum, non sequitur tamen veluti à sua causa, sed merè contingentèr ratio. ne materiæ nempe; fallitas etenim nunquam est causa veritatis. Additur *primis & immediatis*, quæ pro synonymis accipiuntur, ita ut sensus sit, quod præmissæ debeant esse primæ & immediatæ, hoc est quòd debeant esse indemonstrabiles à priori, & hoc formalitèr, vel virtualitèr: formalitèr autèr dicitur aliqua propositio indemonstrabilis, quando revera non est dabilis aliqua propositio, per quam à priori demonstretur, talis propositio est ista, homo est animal rationale; virtualitèr indemonstrabilis est illa, quando à priori quidem posset demonstrari, sed quia jam eam demonstravit ante, & ipsius recordatur, vocatur indemonstrabilis virtualitèr: Quod autem utraq; hæc indemonstrabilitas sufficiat, patet ex Philosopho I. Topicorum, ubi ait: demonstracionem esse ex primis veris, aut ex iis, quæ immediatè deducuntur ex primis & veris. Dicitur *notioribus prioribus*: id est, quòd præmissæ debeant esse notiores & priores, notiores quidem, quia dependent à notitia præmissarum devenitur ad notitiam conclusionis, ita ut non possimus cognoscere conclusionem, nisi illæ prius cognoscantur, possumus verò eas cognoscere, quamvis nesciremus conclusionem, quotiescunq; autèr aliquid nequit cognosci nisi aliud cognoscatur, illud aliud verò potest cognosci, tunc illud dicitur notius esse, quia est facilius cognoscibile, quare inquit Doctor hic, si aliquid sit minus notum, vel equalitèr notum, non faciunt scientiam de ignoto: priores verò esse debent, quia ex iis procedimus ad conclusionem. Dicitur deniq; *causis conclusionis*, quia rem scire, est rem per causam cognoscere, adeoq; cum sciamus conclusionem per præmissas, præmissæ debent esse causæ conclusionis.

**Dices:** Hanc particulam superflue vel illam, quòd debeant esse priores, quia omnis causa est prior suo effectu; ergò non erit bona. R. negando ant. quia ponuntur majoris claritatis gratiâ, quia Philosophus non proposuit eam veluti omnimodè rigorosam, sed tanquam explicativam naturæ demonstrationis, & hæc pro prima parte tituli.

**Circa secundam tituli partem sciendum,** ipsum Aristotelem demonstrationem divisisse in demonstrationem *propter quid*, seu à priori, & demonstrationem *quia*, seu à posteriori. Demonstratio *propter quid*, seu à priori est, cum aliquid demonstramus per causam, ut existentiam lucis per solem; vel per quasi causam, ut æternitatem Dei per illius immutabilitatem, aut voluntatem per intellectum, & in homine admirabi-

mirabilitatem, per animal rationale deducimus. Unde ad demonstrationem nobis & pro nostro statu sufficit, ut secundum rationem nostram unum sit causa, vel quasi causa alterius, ita scilicet, quod ista duo sic se habeant, quod si aliquam causam vel quasi causam haberet, haberet illud aliud pro causa. Demonstratio *Quia*, seu à posteriori, quæ etiam nonnunquam à signo dicitur, est, cum ex effectu, vel quasi effectu probatur existentia causæ, ut solem per lucem, immutabilitatem Dei per æternitatem, intellectum per voluntatem, & animal rationale per admirativum &c. Unde notandum per demonstrationem *propter quid*, seu à priori & à causa per causam non debere intelligi tantummodò causam Physicam moralem, vel Metaphysicam, sed etiam in cognoscendo, ut dixi: per demonstrationem verò *Quia*, seu à posteriori & ab effectu debere intelligi à posteriori *negativè* scilicet omnem eam quæ non est à priori, alioquin hæc: *Omnis equus est animal hinnibile, Bucephalus est equus; ergo est animal hinnibile*, sub neutro membro contineretur, cum nec à priori sit, nec à posteriori & sic de aliis.

Controvertitur tamen inter Authores, an hæc divisio sit bona & adæquata, ita ut demonstratio à priori & posteriori specie distinguantur? Circa quam materiam duplex est sententia: Prima dicit demonstrationem *propter quid* esse veram demonstrationem, non tamen *Quia*. Ita sentit Simplicius, Mauritijs, Complut. Conimb. Secunda asserit tam demonstrationem *propter quid*, quam *Quia*, veras esse demonstrationes, easq; specie distinctas. Ita Scotus, Mastrus, Compl. Rubius, Joan. à S. Tho. &c. cum quâ

V. *Dico 2. Divisio demonstrationis in Propter quid & quia, vera est & adæquata, ita quod Quia sit specie distincta à Propter quid.* Ita Authores pro secunda sententia citati & plures alii.

Probatur prima pars: Quia omnis demonstratio, vel est per causam, vel per effectum, seu per quasi causam, & quasi effectum, ita ut comprehendat omne, quod non est per causam; si primum est demonstratio *propter quid*; si secundum est *Quia*, ergò demonstratio adæquatè dividitur in præallegata membra. Probatur adhuc si non esset bona divisio maxime: Quia demonstratio *Quia* non esset vera demonstratio, sed hæc est, ergò ma. est adversa; probatur mi. Si demonstratio *Quia* non esset vera demonstratio, non posset de Deo haberi scientia: sed de Deo habetur scientia, ergò. Probatur sequela: quia Deus à priori demonstrari non potest, sed à posteriori tantum, scilicet per effectus & res ab ipso productas.

Probatur secunda pars primò Authoritate Aristotelis, qui 1. Post. t. 42. & 2. Post. t. 25. duplicem scientiam assignat, *Quia* & *propter quid*. Secundò, quia 1. post. t. 30. Aristoteles loquitur de demonstratione *Quia* tanquam de distincta à *propter quid*; ergò est specie distincta, quod ulterius probatur: quia demonstratio *propter quid* procedit ex immediatis & adæquatis causis, *Quia non sic*, sed tantum ab effectu; ergò cum ex diversis procedant

F. Avandæ Hermann Logica.

principiis specie distinguentur, Sed Contra Conclusionem.

Opponitur etiam autoritas Aristotelis 1. Post. cap. 2. ubi dicit: *Scire, esse rem per causam cognoscere*, sed demonstratio *Quia* non datur per causam; ergò non est vera demonstratio, quod Confirmatur, quia Aristoteles demonstrationem *propter quid* simpliciter tantum vocat & appellat demonstrationem, ergò. Aristotelem ibi tantum scientiam perfectissimam definivisse, non verò in communi, alioquin sibi contradiceret, cum postmodum demonstrationem dividat in *propter quid* & *quia*. Ad Confirmationem, concedo libentè, quòd ita vocetur, quia est perfectissima, ex hoc tamen non sequitur, quod demonstratio *Quia* sit nulla, & *propter quid* sit sola, sicut Deus dicitur Ens simpliciter, per hoc tamen non excluduntur creaturæ à ratione entis similiter substantia ab Aristotele vocatur simpliciter ens, per hoc tamen non dicitur accidens non esse quoq; ens, licet creatura non sit tam perfecta sicut Deus, & accidens sicut substantia.

VI. *Explicatur Aristoteles.*

### QUÆSTIO III.

De Præcognitionibus & Præcognitionibus.

Quamvis hæc questio in priori disputatione examinanda fuisset, utpote quia communis est omnibus Sylogismis, nihilominus cum communi hæc eam specialiter pertractabo, sic etenim jam obtinuit usus. Quia ergò omnis cognitio intellectiva, ut dixi questione prima, five sit comparata proprio Marte, five mediò Magistrò sit ex præcognitione aliqua, unde hæc quæram, quotnam sint præcognitiones & quot præcognita? per præcognitionem autem nihil aliud intelligo, quam notitiam illam, quæ prærequiritur ad demonstrationem, & per Præcognita illa, de quibus necesse est habere cognitionem. Unde ante Resolutionem

Notandum, de subiecto conclusionis quinque quæstiones fieri posse, verbi gratiâ, de homine: Primò, quid significetur per nomen *homo*, & est quæstio, quid nominis? ad quam respondetur, quòd natura humana: secunda, quæ quæritur *an sit* (id est objectivè) vel ut vult Scotus hæc quæst. 4. *quia est?* tertia: *quid?* & est quæstio, *quid rei?* ad quam respondetur, esse *animal rationale*; quarta *qualis sit?* & respondetur per passionem, *quòd sit risibile*; quinta, quæ quæritur *propter quid sit*, scilicet *risibile?* & respondetur propterea, quòd sit animal rationale; Advertendum tamen, quæstiones, *quid nominis*, reduci ad quæstionem, *quid rei*, & sic in universo non sunt nisi quatuor quæstiones de re, harum autem quæstionum duæ præcognoscendæ sunt ante conclusionem, nimiram quid sit & an sit? & duæ postmodum per conclusionem cognoscuntur. Itaq;

II. *De subiecto conclusionis quinque quæstiones fieri possunt.*

Dico I. Tria de necessitate præcognoscenda sunt ante conclusionem demonstrativam, subiectum scilicet, passio seu prædicatum, & dignitas, seu præmissa. Ita Scotus 1. post. q. 4. Aristoteles & communis. Probatur: ut demonstrarem aliquid de aliquo scientificè, debeo præscire illud de quo

III. *Tria debent præcognosci.*

Q 2 demon-

demonstro aliquid, & hoc est subiectum conclusionis scientificæ, & illud quod de subiecto demonstro, & hoc est propria passio subiecti, seu prædicatum, & demum illud, per quod demonstro, & illud sunt dignitas, seu præmissæ, vel definitio subiecti: ergò.

IV. Dices: Medium debet præcognosci; ergò sunt quatuor præcognita. Item conclusio ergò. R. dist. ant. primum medium debet præcognosci tanquam præcognitum ab aliis distinctum, nego ant. tanquam in aliis inclusum concedo, & nego consequentiam, similiter respondeo ad secundum de conclusione, vel si mavis R. distinguendo etiam ant. aliter, conclusio debet præcognosci confusè, concedo, clarè & distinctè, nego ant. & consequentiam.

V. Sufficiens due præcognitiones. Dico 2. Prædicta tria præcognita sufficienter præcognoscuntur duabus præcognitionibus, scilicet præcognitione quid sit? & præcognitione quod sit, seu quia est. Est Aristotelis & Scoti supra citati. Probatur: Quia, ut inferam conclusionem demonstrativam, sufficit, quòd sciam de subiecto, quid sit ens existens vel possibile, & quid sit ejus essentia, definitiones & passiones ac proprietates, & quid sint præmissæ, sed hæc præcognosco duabus præcognitionibus, ergò. Sed In contra

VI. Arguitur. Non est ulla ratio, quare ante conclusionem demonstrativam requiratur præcognitio, quid sit & quod sit, quàm præcognitio propter quod sit & qualis sit; ergò admittendæ sunt plures præcognitiones. R. negando ant. Ratio enim est, quia illæ duæ cognitiones habentur per ipsam conclusionem, verbi gratiâ, per hanc conclusionem; Ergò homo est visibilis, cognosco qualis sit, nimirum visibilis & propter quid, quia rationalis propter præmissas.

Instatur. Præmissæ debent prius præcognosci; ergò non cognoscuntur in Conclusionem; ergò dabuntur plures præcognitiones; probatur, quia ad minus tot debebunt dari præcognitiones, quot sunt præcognita, sed præcognita sunt tria; ergò ad minus etiam tres præcognitiones; probatur ma. quia quodlibet præcognitum præcognoscitur præcognitione distinctâ, tum etiam quia tot sunt abstracta, quot sunt concreta, ergò. R. concedo primum ant. & distingo conseq. ergò non cognoscuntur in conclusione cognitione propter quid nego, præcognitione quid sint, concedo consequentiam, & nego alteram cum probatione ma. ad cujus probationem dico, quòd quodlibet præcognitum non debeat particulari præcognitione præcognosci & distincta, quia cum præcognitio sit in intellectu, potest unico actu plura simul præcognoscere; vel si tibi difficile videtur. R. 2. & dic, quòd quidem tot sint in intellectu præcognitiones necessariò distinctæ, quot sunt præcognita, non sunt tamen tot præcognitiones in generali, quod præcognita in particulari, quod tantum intendit conclusio, & hoc patet, nam de Syllogismo, passione & principiis potest haberi hæc unica præcognitio quod sit, seu quia est.

Urgetur. Accidens numeratur ad numerationem subiecti in quo est, sed præcogni-

tio subiectatur in præcognito; ergò sicut sunt tria præcognita, ita etiam debent esse tres præcognitiones. R. negando mi. quia præcognitio non subiectatur in præcognito, sed in præcognoscente.

VII. De subiecto præsupponendum & præcognoscendum est quod sit, idq. ad minus objective, præterquam quando scientia acquiritur propria inventionem & per experientiam, quia tunc de subiecto debet præcognosci non solum, quod sit objective, sed etiam verè realiter existat.

Prima pars patet & colligitur ex præcedentibus, quia nisi sciam hominem esse animal rationale, quomodo potero de ipso demonstrare magis risibilitatem, quàm hinni- bilitatem.

Probatur secunda pars, scilicet quòd sufficiat præcognoscere ejus esse possibile, seu objective, quia de rosa in hyeme & Anti- Christo habentur scientiæ reales, & tamen non existunt.

Probatur deniq; tertia pars, quia quando scientia acquiritur per experientiam, ejus acquisitio dependet à sensibus, sed sensus non potest elicere actus nisi de rebus existentibus verè & realiter, ergò.

VIII. Dico 4. De Passione, seu prædicato non est necessarium præcognoscere quod est, seu quia est (id est in subiecto Conclusionis) aut quid est quoad quid rei, sed requiritur præcognoscere quid est, quoad quid nominis & confusè. Ita Scotus 1. post. cap. 6. Aristoteles hic & communis &

IX. Probatur prima pars, quia cognoscere passionem inesse subiecto conclusionis, cognoscitur per ipsam conclusionem demonstrativam; ergò non est necesse hoc præcognoscere antecedentè.

Probatur secunda pars. Quia passio non ingreditur essentiam, seu definitionem rei; ergò non est necesse de ipso præcognoscere, quid sit esse rei?

Probatur tertia pars. Quia nihil potest demonstrari de aliquo, nisi prius cognoscatur, quid significetur per illud nomen, per quod significatur, aliàs quod esset omnino ignotum, posset de aliquo demonstrari.

X. Dixi in Conclusionem, Intellige de subiecto conclusionis, quia de passione necesse est præcognoscere in præmissis ipsam inesse medio, cum sit semper in præmissis alterum extremum; ergò non excluditur à passione præcognitio quæcunque, quia est, sed sola præcognitio, quæ cognoscitur inesse subiecto conclusionis.

XI. Dico 5. De Dignitatibus, seu præmissis tantum præcognoscitur, quod sunt, seu quia sunt, nempe verè. Ita Scotus & Aristoteles hic. Probatur: quia non præcognoscitur quid sint, cum sint entia complexa, quæ non habent unam aliquam quidditatem, nec etiam quid nominis, cum unum nomen non habeant; ergò restat, præcognoscere tantum quod sint verè. Idem dic de medio, cum sit ipsa definitio, quæ ut talis non habet quidditatem, sed est ipsa quidditas. *Questio*

QUAESTIO IV.

An praemissa debeant esse notiores, vel evidentiores Conclusionem?

Hujus quaestiones occasio est illa

particula *Notiores* in definitione demonstrationis ab Aristotele addita, quam licet supra explicando definitionem non nihil tetigerim, exactiorem tamen discussionem ad hunc remissi locum, unde nunc quaeritur, an praemissae debeant esse evidentiores, quam sit conclusio, quae particula licet in definitione demonstrationis expressè non inveniatur, communiter tamen, ut Connimb. notarunt, dicunt Authores, quando Aristoteles dixit: quod praemissae debeant esse notiores, quod per tō notiores intellexerit etiam evidentiores.

Circa titulum autem quaestiones triplex est sententia: Prima dicit, Aristotelem voluisse praemissas esse notiores conclusionem, antequam conclusio inferatur, post illationem verò praemissas & conclusionem ejusdem esse evidentiae & notitiae, sed haec sententia à veritate aberrat, quia prima principia ex se habent majorem evidentiam, quam conclusiones. Secunda sententia dicit, principia formaliter indemonstrabilia esse perpetuò notiora, sed virtualiter demonstrabilia solum antè illationem esse notiora, post illationem autem esse aeq; nota sicut conclusio. Tertia dicit: Praemissas tam formaliter, quam virtualiter indemonstrabiles esse semper notiores conclusionem: pro qua sententia itè intelligenda

Notandum: Duplicitèr unum posse esse notius alio, videlicet in re & in modo; primo modo dicitur unum notius alio, quia connexio terminorum ejus est notior & evidentior connexione terminorum alterius, sic propositio per se nota, de qua infra, est notior & evidentior omnibus aliis, quae non sunt tales propositiones; quod clarè exemplificari potest in aliis qualitatibus, nam calor intensus, ut sex, excedit in re calorem, ut duo velut quatuor & sic de aliis. Secundo modo aliquid dicitur altero notius & evidentius, quatenus unum habet suam notitiam & evidentiam dependentèr ab illo altero sub ratione dependentiae, & quod sic est notius & evidentius, potest, si secundum se praecisè & sine dependentia spectetur, minus esse notum & evidens, & econtra illud, quod est sic minus notum & evidens in se, potest esse notius & evidentius, prout contingit in iis demonstrationibus, in quibus conclusio est propositio per se nota & alia, quae de se praemissis est notior. Hoc praenotato

Dico, ad q. *Praemissa sunt semper notiores conclusionem, quae conclusio est, tam ante illationem ejus, quam post illationem.* Prima pars est Scoti I. post q. 13. Pontii, Mastrii &c. Secunda D. Thomae, Cajetani, Conimb.

Et probatur prima pars primò Ratione desumpta: Si praemissae pro tunc non essent notiores conclusionem, quae conclusio est, ignotum esset aeq; nobis notum & evidens, ac illud, quod est notum, sed hoc est inconveniens, ergò. Probatur ma. quia in illo priori antequam

inferatur conclusio, ipsa esset nobis actu ignota, id est actu non cognita & praemissae notae & evidentes; ergò si in illo priori praemissae non sint notiores & evidentiores conclusionem, ignotum erit aeq; notum atq; illud, quod dicitur notum & evidens.

Probatur secundò. Illud est notius & evidentius altero, quod in se actu & evidentèr cognoscitur non cognito altero, nisi tantum virtualitèr & in confuso, sed sic est in proposito, ergò.

Tertiò: In illo casu praemissae nullam dant conclusionem evidentiam, & tamen in se ipsae habent aliquam; ergò in illo casu sunt notiores & evidentiores conclusionem.

Probatur secunda pars. Illud est minus notum minusq; evidens, quod habet suam notitiam participatam ab alio, & illud est magis notum, quod non habet sic suam evidentiam participatam & communicatam ab alio, quia nobilius & perfectius est, habere suam evidentiam à se. & eam non debere alteri, sed praemissae habent suam notitiam & evidentiam in participatam eamq; non debent alteri, & conclusio quae conclusio eam debet alteri; ergò praemissae sunt notiores & evidentiores conclusionem, quae conclusio est, & haec ut talis erit minus nota & minus evidens.

Dices: Quando conclusio est propositio per se nota, vel principium per se verum & certum, tunc non habet suam evidentiam dependentèr à praemissis, sed ex se, & ex suis terminis; ergò falsum est, quod conclusio habeat suam evidentiam participatam, & quòd eam debeat alteri, & per consequens, quòd praemissae sint evidentiores semper conclusionem. R. dist. primum consequens; ergò falsum est, quod conclusio quae conclusio, nego consequ. quae propositio, vel principium per se notum transeat, propositio itaq; ex praemissis deducta dupliciter considerari potest, uno modo, ut est deducta, & sic necessariò est minus nota, & evidens praemissis, secundo modo considerari potest, ut est propositio per se nota, & sic est notior praemissis, sed sic considerata non est conclusio, sed simpliciter tantum propositio, vel principium per se certum.

Probatur secundò eadem pars. Cognitiones principiorum & conclusionis sunt specie distinctae; ergò cognitio conclusionis debet esse, aut perfectior praemissis, aut imperfectior, quia suppono, quòd nunc non dentur, vel saltem non sit certum, an dentur defecto plures species aequalis perfectionis, cum se habeant veluti numeri, quorum unus semper excedit aliud, sed Conclusio non potest esse certior & evidentior praemissis simul sumptis; ergò praemissae erunt ipsa certiores & evidentiores.

Conclusio Confirmari posset vulgato illo axiomate Philosophi: *Propter quod unumquodq; tale, & illud magis tale*, quod videtur habere locum in causis aequivocis, quando sunt capaces illius tauticitatis sicut effectus, sed conclusio est evidentèr nobis nota propter praemissas;

missas; ergò ipsæ præmissæ sunt nobis magis notæ & evidentes, quàm conclusio. Verumtamen quia hoc principium difficultèr sustinetur, utpote cum nec universalitèr causis æquivocis, nec universalitèr causis univocis efficientibus applicari possit, nam propter solem est murus calidus, ita ut sol sit causâ æquivoca caloris, & tamen ipse non est magis calidus, sicut etiam confringit lutum, & dissolvit butyrum & tamen ipse non est magis dissolutus & restrictus. Econtrâ verò Ignis est causâ univoca productivus ignis alterius & tamen axioma non habet locum, non enim sequitur: Ignis B. est propter ignem A. ergò ignis A. est magis talis, & sic de pluribus aliis; quare non videtur conclusio posse adæquatè ex illo axioma deduci, quod si quis tamen vellet illud adhibere, posset dicere, quòd axioma habeat locum in causis æquivocis totalibus per se, & non in instrumentalibus & per accidens, præmissæ etiam esse causas totales per se conclusionis, unde tres posset requirere conditiones ad illud verificandum: Primò quòd debeat esse causâ æquivoca non instrumentalis, sed principalis & efficiens. Secundò quòd illud, quòd dicitur magis tale, sit causâ per se & non per accidens. Tertiò ut illud in quo fit comparatio possit suscipere magis & minus. Verumtamen & his concessis non solvitur difficultas, quia præmissæ non sunt causæ principales, sed videntur esse potius instrumentales, cum sint Syllogismus, qui est modus & instrumentum sciendi. Quare dico, si axioma unquam universalitèr verum esse potest, id maxime esse in causâ finali respectu mediorum, quia propter finem sunt media amabilia & delectabilia; ergò finis est magis amabilis & delectabilis. Itaq; Contra Conclusionem principalitèr sic

## VIII.

**Arguitur.** Si præmissæ sunt semper notiores conclusionem, sequeretur, quòd tandem deveniretur ad aliquam conclusionem demonstrativam, quæ nullo modo esset nota, sed hoc est absurdum, ergò. Probatur seq. ma. quia si conclusio est minus nota quàm præmissæ, conclusio ex hæc conclusionem iterum illata, erit minus nota quàm prima conclusio, & tertia iterum minus nota quàm secunda, & sic deinceps; ergò cum certitudo & evidentia ejus sit finita, poterit tandem per continuam detractionem exhauriri ex toto, & sic erit tandem conclusio, quæ nullo modo erit nota, declaro eam exemplo: si aqua sit calida ut septem, & aliquis detrahat ipsum unum gradum expellendo illum, & alius alium, citò venietur ad ultimum, quòd nulum amplius retinebit. R. negando ant. cum ante. Probationis, quia præmissæ habent suam veritatem à se, & non à conclusione, quæ præmissæ sunt, & ideo sufficit semper, ut dicantur magis notæ, quàm conclusio, quæ, quæ talis est, vera propter præmissas, unde non requiritur, ut habeant aliquem positivum gradum notitiæ ultra conclusionem. Et per hanc responsonem solvuntur etiam argumenta alia, verbi gratiâ, quòd conclusione evidenti non potest esse ulla notior, aut evidentior, quia evidentia & certitudo sunt formalitèr relationes, quæ sunt indivisibiles intensivè & extensivè. R. ergò non conformitèr ad dicta, præmissas esse notiores

conclusionem quæ tali, quia illæ à se, conclusio verò ab ipsis habet evidentiam.

**Instatur.** Conclusio quæ est propositio per se nota, habet evidentiam connexionis terminorum & evidentiam præmissarum; ergò non est minus evidens. R. negando ant. quæ conclusio est, quia quæ tali assentior tantum propter præmissas, deinde casu quo habeat utramq; evidentiam, non facit contra Conclusionem, quæ loquitur tantum ex suppositione, quòd sufficiat una.

**Urgetur:** Notitia Conclusionis demonstrativæ tam specificatur à connexionem objectivæ extremorum, quàm à præmissis; ergò non potest non habere suam evidentiam à connexionem objectivæ extremorum tam benè quàm à præmissis; ergò illi conclusioni, quæ est propositio per se nota, assentior propter utramq; evidentiam. R. dist. tam specificatur ab utraq; quæ est in se evidens, nego ant. quæ præscindit ab evidentia, & inevidentia transeat, & nego consequentiam, quia quando intellectus noster assentitur conclusioni evidenti, non curat de ista connexionem extremorum, sed præcisè illi assentitur propter præmissas.

**Replicatur.** Potest intellectus ex imperio voluntatis assentiri conclusioni propter utramq; evidentiam, quia in hoc non apparet ulla repugnantia; ergò saltem in tali casu præmissæ non erunt notiores, & evidentiores conclusionem. Propter hanc replicam est probabile, non sufficere, quòd præmissæ sint notiores conclusionem, quòd conclusio habeat aliquam sui evidentiam à præmissis, benè tamen quandoquæ non accipit aliunde aliquam evidentiam, quàm à præmissis, de quo tantum intelligitur conclusio, & idem est iudicium de certitudine, quia licet sit tam impossibile extrema unius propositionis certæ, & necessariæ separari, quàm alterius, tamen si sufficiat, quòd conclusio habeat suam certitudinem à præmissis, & sit incertior præmissis certitudine essentiali, tamen potest assensus conclusionis esse certior certitudine accidentalii, seu gradualii, quàm assensus præmissarum, puta si intellectus ex imperio voluntatis firmiter adhæreat conclusioni objectivæ, quàm præmissis, vel voluntas plus delectetur in objecto conclusionis, quàm præmissarum & sic detineat intellectum in continua speculatione conclusionis objectivæ, & de majori & intensiori perfectione accidentalii, seu gradualii, sic rem exemplifico: supponatur quòd albedo sit imperfectior, quàm calor in essentia, si tamen albedo intendatur usq; ad gradum septimum, & calor tantum sit ut duo, albedo erit perfectior perfectione accidentalii, seu gradualii, & sic similiter discurre de præmissis, & conclusionem.

**Arguitur 2.** Præmissæ sunt dæ causæ naturales causantes conclusionem; ergò utraq; ipsi dat tantam perfectionem, quantam potest dare, quia naturalis causa agit secundum ultimum posse; ergò conclusio erit tam nota quàm præmissæ, imò videtur quòd sit notior, quia quando effectus habet duas causas æq; perfectas, utraque suam perfectionem effectui communica-

municat, & consequenter erit perfectior; Ergo similiter quando conclusio habet duas premissas aeq; perfectas tanquam causas, ipsa erit notior, cum utraq; suam ei communicet notitiam. R. concedo ant. & negando consequentiam, quia licet sint causa naturales, ex hinc tamen non sequitur, quod effectus sit aeq; perfectus, quia intellectus est causa naturalis intellectio- nis, & tamen intellectio non est tam perfecta sicut est intellectus. Et licet habeat premissas pro causis, quae duae sunt, non sequitur; ergo effectus est perfectior sua causa, maxime si erit causa totalis, cuius ratio assignabitur in Physica. Adde quod premissae sint aequivocae causa respectu conclusionis, quae nunquam producit effectum aequalem sibi in perfectione.

**Instatur.** Conclusio deducta ex duobus principiis revelatis, est aeq; certa, ac sunt ipsa principia; ergo non semper principia & premissae excedunt conclusionem in perfectione; probatur ant. quia illa conclusio est aeq; de fide, ac principia. R. negando consequens, & probationem ejus, quia talis conclusio ex principiis deducta qua deducta, non est aeq; de fide ac premissae, nec sic credenda sicut sunt credenda principia.

**Urgetur.** Conclusio illa deducta est aeq; revelata ac principia; ergo est aeq; de fide ac principia: probatur ant. quia qui immediate revelat duo principia, revelat etiam conclusionem illorum, ergo. R. negando ant. cum sua probatione. Ratio est: Quia causa conclusionis non sunt sola principia, seu premissae, sed etiam forma syllogistica, adeoq; ut conclusio sit de fide, & aeq; revelata, deberent non solum premissae, sed etiam forma syllogistica esse revelata, nondum autem compertum est, quod forma syllogistica sit revelata, adeoq; non est dicendum, quod qua conclusio sit de fide. Plura redibunt in Theologia.

QUAESTIO V.

An datur Regressus demonstrativus, ubi etiam de propositione per se nota.

**Regressus demonstrativus nihil aliud est:** quam processus, in quo processu illud, quod fuit demonstratum in una demonstratione, sumitur pro principio ad probandam aliquam ex premissis, ex quibus ipsummet fuit demonstratum, ut si quis postquam demonstravit omnem hominem esse rationalem, quia omnis homo est risibilis, postea vellet demonstrare omnem hominem esse risibilem, quia omnis homo est rationalis, talem regressum negabant aliqui, alii tanquam rem inutilem rejicebant. Contra quos

**Dico:** Datur regressus demonstrativus, estq; scientia utilis. Ita Faber, Matrius, Pontius &c. Connimb. & plures alii.

**Probatur prima pars:** Ibi est regressus, ubi per demonstratam conclusionem iterum demonstratur premissa, per quam fuit ipsa conclusio demonstrata, sed tales demonstrationes dantur; ergo datur regressus de-

monstrativus. Probatur mi. hoc Syllogismo & exemplo: Omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale; ergo omnis homo est risibilis, ubi per rationalitatem de homine ostenditur risibilitas, & potest iterum accipi risibilitas, quae in conclusione est demonstrata pro medio, & per eam de homine demonstrare rationalitatem sic, verbi gratia, sumendo conclusionem illam pro prima premissa, Omne risibile est rationale, omnis homo est risibilis; ergo omnis homo est rationalis, ubi patet, quod per conclusionem ante demonstratam demonstratur premissa per quam conclusio demonstratur antea; ergo datur talis regressus.

Probatur etiam secunda pars

**Conclus.** Quia haec via ab effectu ad causam est nobis congenita a natura, ut ait Arist. 1. Phys. I. & 1. Met. cap. 1. & non nisi per hanc viam ex notioribus nobis fuerunt adinventae scientiae, quare si deinde non liceret reverti a causa ad effectum, nullae vel paucissimae darentur scientiae propter quid. Sed

**Dices:** Contra primam partem Conclus. Praemissae demonstrationis primae sunt notae evidentem, & certitudinaliter intellectui ante secundam demonstrationem; ergo superflue demonstratur per secundum; probatur ant. quia sunt notiores, quam conclusio demonstrata; ergo conclusio demonstrata non potest esse principium ad demonstrandam ullam ex ipsis: Probatur conseq. Quia ut esset principium, deberet esse notius, & consequenter notius, & ignotius simul, quod est inconveniens. R. cum Pontio dist. consequens, ut demonstrata concedo, ut cognita alio modo, quam per illam premissam, quam demonstrat, nego consequentiam, & concessa ejus probatione dist. ultimum consequens, esset notius & ignotius secundum diversas cognitiones, concedo, secundum cognitiones ejusdem rationis, nego consequentiam. Praemissae ergo primae demonstrationis essent notiores conclusionem, quatenus conclusio non cognoscitur, nisi per illas, quatenus vero cognosceretur aliunde & propter eam sic cognitam, cognoscerentur premissae, esset notior premissis. Sed

**Quaeres:** An in omnibus modis trium figurarum possit admitti regressus demonstrativus? R. negative, sed solummodo in *Barbara*, & cum termini sunt convertibiles, tunc dantur tales regressus demonstrativi, alii non, & praesertim in *Ferio* nulla premissa potest circulariter demonstrari, nam major, quia universalis non inferitur ex particulari, nec minor etiam potest inferri, quia affirmativa non inferitur ex negativa, similiter discurrendum de aliis.

**Quaeres 2.** In quo regressus demonstrativus differat a circulo vitioso? R. quod in hoc, quia in Circulo unum ex alio semper eodem modo inferitur, in regressu vero demonstrativo non sic, nam una demonstratio est necessaria propter quid, & altera quia.

**Circa quid ad secundam tituli partem** spectat eam breviter epyediam, quia ejus exacta discussio ad primum sententiarum pertinet, in quo

III.

IV. Non potest fieri in omnibus modis.

V. Differentia ejus a circulo vitioso.

VI. Explicatur propositio per se nota.

quo quaritur, an hæc propositio DEUS est, sit per se nota? Propositio igitur per se nota definitur à Scoto sic: *Propositio per se nota est illa, quæ ex terminis propriis, quæ sunt aliquid ejus, ut sunt ejus, habet evidentem veritatem*, talis propositio est hæc: Idem non potest simul esse, & non esse, item totum est majus sua parte. Ad propositionem autem per se notam tres requiruntur conditiones. Prima est, quod circa propositionem per se notam impossibile sit mentiri, id est errare, nam cum ex terminis sit nota, non potest aliquis circa illam errare. Secunda, quod propositio per se nota non sit demonstrabilis, & licet quandoq; demonstretur, hoc tamen non petat ex natura sua. Tertia, quod ex terminis sit nota, qui termini debent distinctè concipi & ob hanc causam hæc propositio DEUS est, viatoribus non est per se nota, quia illi termini non distinctè à viatoribus concipiuntur, Varro Propositionem per se notam divisit in per se notam actu, & per se noscibilem, sed malè, quia non requiritur ad propositionem per se notam, ut actu cognoscatur, sed solum ut sit cognoscibilis: Malè etiam D. Thomas divisit propositionem per se notam ex natura sua, quæ non est per se nota nobis, & illam quæ ex natura sua est per se nota, & nota nobis, nam omnis propositio per se nota, cujus termini distinctè concipiuntur, est nota ex natura sua & nota nobis: Malè deniq; Thomista dicunt propositionem per se notam, aliam esse per se notam sapientibus, aliam per se notam minus sapientibus, quia de ratione propositionis per se nota est, ut sit nota omnibus distinctè terminos talis propositionis concipientibus, sed hæc pro nunc sufficiant de propositione per se nota.

**Quares, Quid sit certitudo & evidentia?** B. certitudinem esse firmam adhesionem intellectus alicui propositioni, ita ut excludat omnem formidinem de opposito. Evidentia est quasi videntia, seu visio objecti, est adhesionem intellectus alicui propositioni, quæ non modò dubitationem & formidinem excludit, verum etiam habet adjunctam claritatem, quæ intellectum determinat ad assentiendum. Hinc patet utriusq; distinctio, nam certitudo in actibus fidei reperitur summè certis, non tamen sunt evidentes, sed obscuri. Utraq; est triplex: Videlicet moralis, Physica, & Metaphysica; Moralitatis est illa, quæ licet Physicè possit admittere formidinem de opposito, prudenter tamen haberi non potest, quia non sine temeritate oppositum judicaretur, verbi gratiâ, affirmant jure merito sex octòve prudentes regulares, & probatæ vitæ viri se vidisse aliquam rem, illam faciunt moralitèr certam, & evidentè, quia sine temeritate judicari non potest, illos homines ad pejurandum convenisse. Physica est illa, vi cuius objectum ita proponitur, ut naturalitèr non possit non ita se habere, licet supernaturalitèr alio modo contingere non repugnet, hujusmodi est actus, quo ego judico substantiam existere, quia video accidentia, quæ sine subiecto naturalitèr conservari nequeunt, licet supernaturalitèr absq; illis existere valeant. Metaphysica est illa, quæ objectum ita concludit, ut de potentia absoluta DEI non possit alitèr se habere, ac per cognitionem representantur; hujusmodi habent hæc principia evidentiam: Omne totum est majus sua parte, & quodlibet est, vel non est, & omnes illæ propositiones, quæ ex istis principiis desumuntur.

VII. *Explicatur certitudo & evidentia.*



## DISPUTATIO V. DE EFFECTU DEMONSTRATIONIS.

**D**isputatione precedenti egi de demonstratione secundum se, nunc agam de ejus effectu, qui est scientia, nam Aristoteles dixit, eam esse orationem facientem scire. Scientia autem velut effectus demonstrationis, duplex est, habitualis nempe, & actualis, scientia habitualis, nihil aliud est, quam qualitas quadam relicta ex frequentibus actibus scientia actualis, faciliatans intellectum ad alios similes actus sequentes, & inest, licet actu aliquis non syllogizet; actualis verò est ipsa cognitio, quæ aliquid actu scitur, & nunquam inest intellectum, nisi actu syllogizanti. Sit igitur

### QUÆSTIO I.

*Quid sit Scientia habitualis?*

**I.** **Experientia** constat, in quolibet ex frequenti exercitio quorundam actuum inveniri quandam facilitatem, & promptitudinem ad similes actus iterum eliciendos, quæ facilitas à Philosophis habitus appellatur. De quo quaeritur hic, an in nobis ex scientia actualis actibus aliquis detur, & quid sit? ad quod

**II.** **DICO I.** Datur in nobis scientia habitualis naturalis, qui habitus nihil aliud sunt, quam quedam qualitates de prima specie qualitatuum difficulter mobiles, disponentes subjectum non ad simpliciter, sed ad

facilitèr, & promptè, delectabiliterq; operandum ex frequentatione actuum acquisita in potentis anima. Hæc est communis & Scoti 4. d. 6. q. 1. quod autem sit qualitas patet, quia cum sit aliquo modo activa, non potest ad aliud accidentis generis reduci: &

**Probatur Conclusio** quoad primam partem: Experientiâ etenim videmus homines usu acquirere facilitatem quandam agendi, quam prius non habebant; ergò aliquam formam de novo habent. Et quoad reliquas partes etiam patet, & clarius in Antimasticis ubi ex professo agam de habitibus. Sed in Contra. Arguitur

**Arguitur.** In potentiis externis per frequens exercitium producitur quaedam facilitas, sed haec facilitas non est habitus, quia in potentiis non admittuntur habitus, sed solum impedimentorum amotiones; ergo à paritate licet per actus frequentatos in intellectu reperitur facilitas quaedam, haec non erit habitus, sed solummodo impedimentorum remotio. Ad hoc argumentum respondet Pontius, negando paritatem, & disparitatem assignat, quia in potentiis externis multa sunt impedimenta, quae ut potentia faciliter operetur, necessariò tolli debent, in intellectu autem non sunt assignabilia talia impedimenta, sed haec responsio non sufficit, in intellectu enim quoque impedimenta sunt, cur post primum actum non tam facile assentior, quam post secundum, & ista videntur ignorantiae esse, oppositi errores, & opinioniones pertinaces &c. Respondent ergo alii aliter, negando consequentiam, & ejus paritatem, quia ideò dicunt ipsi, in potentiis externis habitus non ponuntur, sed solum impedimentorum ablatio, & remotio, quia cum habitus sint qualitates, non est assignabilis ratio & causa, à qua tales qualitates in manu producerentur, verbi gratià, impedimentum, quod est in manu Citharadi ad citò movendum digitos, amovetur per remotionem istius impedimenti per frequens exercitium, & nulla in manu producitur qualitas, quia non potest assignari causa, qua eam produceret, non enim producit talem qualitatem plectrum, nec frequens chordarum tactus, ad Deum autem frustra & hac necessitate recurritur, nec est assignabile subiectum, in quo talis qualitas subiecta eretur, secus autem est discurrendum de intellectu, cum causa talium habituum sit assignabilis, nempe frequens exercitium, nempe actus frequentati. Fator hanc solutionem bonam esse, si negetur, quòd in potentiis externis dentur habitus, verum tamen, quia hoc videtur esse contra manifestam experientiam, quare videtur mihi potius fatendum, nos nescire causam determinatam, quae producat illum habitum, non esse tamen nullam, quam contrariari experientiae, & ideò breviter respondeo, negando minorem, plura in Physica. Sed

**Instatur Visus,** quia est potentia naturalis, non indiget habitu ad videndum, sed intellectus est potentia naturalis; ergo non indiget habitu. R. negando ma. præcisè, sed ideò visum non indigere habitu, quia talis potentia naturalis est distincta ab intellectu.

**Urgetur.** Haec nulla est disparitas; ergo nulla solutio. R. negando ant. disparitas etenim est, quia visus objectum debet sibi appropinquatum aeq; perfectè, prima, secunda ac tertia videt vice, nec ullam facilitatem per plures actus videndi acquirit, intellectus verò licet objectum debetè propositum sibi perfectè videat prima vice, experientia tamen constat, quòd si frequentius in idem objectum tendat, facilitatem quandam acquirere, quam non acquirit visus, & hoc modo respondent omnes, qui supra secundam dederunt solutionem, & disparitatem de membris externis, & intellectu.

F. Amandi Hermann Logica.

ut proinde non modicè mirer, quòd propter experientiam fateantur dari in intellectu, non verò in visu, quia in ipso non experitur aliqua facilitas, cum ergo in membris ita manifesta reperitur facilitas, qui negare audebunt, quòd non sit etiam in ipsis habitus.

**Dico 2. Habitus intellectualis non consistit in specie intelligibili relicta ab actu, vel ab objecto & potentia simul in intellectu.** Est Scoti supra cit. & in 2. d. 3. q. 10. n. 11. Contra Rodericum & pleurosque antiquiores Thomistas, qui omnem habitum intellectualem in sensu explicato negant, & illud, quod nos vocamus habitus, vocant species objectorum.

IV. Habitus intellectualis non est species intelligibilis.

**Probatur Conclusio primò:**

Dantur in nobis habitus supernaturales fidei, spei, & charitatis; ergo etiam naturales, ant. est certum. Probatur conseq. Quia ideò illi dantur, ut adjuvent potentiam ad operandum, cum hoc tamen discrimine, quòd supernaturales necessariò requirantur ad actus supernaturales, ita ut sine ipsis saltem de potentia ordinaria non possit potentia supernaturaliter operari, naturales verò non sic, sed ad expeditius tantum operandum necessarii sint, ergo.

**Dices:** Licet certum sit in nobis infundi fidem, spem, & charitatem, ut est de fide ex Trid. Sess. 6. non est tamen certum, quòd consistant in habitu. Sed Contra Doctissimi & gravissimi viri & Authores tenent esse de fide, quòd consistant in habitu, ut videre est apud Coning, & Scholasticos passim agentes de virtutibus supernaturalibus. Et Dato gratis, quòd non sit de fide, adèd tamen certum est, ut oppositum asserere sit temerarium.

V.

**Probatur Conclusio secundò:**

Species intelligibilis tam perfectè acquiritur unico actu, quam pluribus, ut experientia patet, sed habitus non acquiritur, tam perfectè unico actu, quam pluribus; ergo species intelligibilis non est habitus, verbi gratià, est certa & minor manifesta, quia habitus est facilitas ad operandum, quae facilitas non uno actu, sed pluribus comparari debet.

VI.

**Probatur tertio.** Habitus producitur ab artibus, & per consequens non est saltem ante primos, species autem acquiritur ante actus in potentia etiam primos, cum sint causa actuum.

**Quartò.** Species requiritur in potentia absolute ad agendum, habitus autem non nisi ad faciliter operandum; ergo habitus non est species.

**Quintò.** Manent species in nobis quando non manent habitus, ut videre est in illis, qui nunc tenent aliquam sententiam, & per multos actus acquirunt habitum, & facilitatem ad eliciendos alios actus circa id objectum, postea tamen rationibus moventibus aliis mutant sententiam, & acquirunt habitum contrarium priori per contrarios actus, qui habitus destruit priorem, & tamen tunc manent species priores, tum quia possum recordari prioris sententiae, tum quia species non habent contrarium

R r rium

rium, species enim albedinis non destruit speciem nigredinis.

**Sextò deniq;** In voluntate dantur multi habitus amoris, & odii, & tamen in voluntate nullæ sunt species intelligibiles, ergò. Sed in contra.

## VII.

**Arguitur.** Habitus ponitur in intellectu, ut intellectum determinet ad eliciendum actum, sed per species intelligibiles sufficienter determinatur ad hoc; ergò superfluum habitus. *R.* negando ma. habitus enim non idè est, ut intellectum determinet, sed idè ut promptè faciliusq; eliciat actum, intellectus enim aliquando determinatur ab ipso objecto, aliquando à voluntate imperante non minùs, quàm à specie intelligibili, & nullus tamen dicitur voluntatem & objectum esse habitus, ergò.

**Instatur.** Fides, spes, & charitas habitus sunt, & tamen non faciunt promptè, & promptè operari; ergò malè dicitur, quod habitus faciat promptè operari; quòd sint habitus patet ex dictis, quòd non faciunt promptè operari. Probatur: Quia hæreticus hodie conversus non promptè credit, imò nec natus catholicus, ut patet. *R.* fidem, spem, & charitatem esse habitus supernaturales, qui non faciunt promptè, sed meritorie operari, naturales autem faciunt tantum facilius operari, & hic non est sermo de supernaturalibus, sed naturalibus.

**Urgetur.** Omnis facilitas habitus potest refundi in species impressas, quia si species ab initio sit remissa, intellectus patitur difficultatem in discurrendo, & si postea fiat intentia per alias species relictas ex variis actibus de subjecto, tunc intellectus nullam sentit difficultatem in operando, & illi gradus speciei non sunt simpliciter necessarij ad operandum, sed ad facilius operandum; ergò cum tunc objectum appareat clarum, quia illæ plures species trahunt intellectum ad operandum circa tale objectum; ergò non est opus habitu. *R.* ex hoc tantum haberi, aliquam facilitatem intellectus posse refundi in species, non tamen omnem.

## VIII.

**Dices:** Scotus 2. d. 3. q. 10. dicit, non esse congruum ponere habitum in intellectu angelico, quia ipsius intellectus est determinatus per speciem, quia habitus specie objecti, objectum est ipsi clarum prout est in se; ergò præter species claras, non est ponendus aliquis habitus distinctus in intellectu. *R.* Scotum tantum velle dicere hoc supposito, quòd intellectus sit satis habituatus ad omnes actus suos de se.

## QUÆSTIO II.

*Utrum detur habitus principiorum, & quomodo distinguatur a scientifico?*

1

**Aristoteles** hic cap. 8. de principiis sic loquitur: *illa autem in unoquoq; genere esse dico, quæ fieri nequeunt, ut esse demonstrantur.* Id est, quòd illud, quod est principium, non potest demonstrari à priori, quando est propositio immediata, vel saltem hoc non exigat, non verò quòd non possit, ut dixi supra de propositione

per se nota. Notandum ergò principia esse duplicia, universalialia, & particularialia, seu propria; universalialia sunt, quæ ad multas scientias acquirendas inferunt, talia sunt, quolibet est, vel non est, si equalia ab equalibus demas, equalia remanent totum est majus suâ parte &c. particularialia sunt, quæ unicuiq; scientiæ sunt propria, quale est illud in Logica, *omnis Syllogismus debet constare tribus propositionibus*, in Phisica *omne constans materia & forma est corruptibile*. Circa titulum questionis autem quadruplex est sententia, prima dicit nullum in nobis dari habitum principiorum, tam universalium, quàm particularium ab ipso intellectu distinctum. Ita Durandus, Scotus &c. Secunda admittit principiorum habitus, sed negat eos nostris actibus acquiri, sed dicit primo instanti creationis nostris animis infundi, ita D. Thomas 1. p. q. 83. art. 2. ubi vocat habitus principiorum naturales, prout naturale distinguitur à libro, & contingente, & clarius in 3. d. 23. q. 1. art. 2. ad primum, ubi sic dicit: *Sicut naturalis habitus datur in creatione, ita infusus in reparatione.* Tertia dicit dari habitum principiorum, sed particularium tantum, non verò universalium. Quarta deniq; asserit dari habitum principiorum tam universalium, quàm particularium, qui nostris quoq; actibus acquiruntur. Ita Scotus 3. d. 8. q. 12. n. 6. & d. 35. n. 2. Cum quo nunc

**Dico 1.** *Datur in nobis habitus principiorum tam universalium, quàm particularium.* Ita Scotus loco cit. & in 2. d. 39. q. 2. n. 4. quem sequitur Tartaretus, Lichetus, qui etiam asserunt eos augeri nostris actibus. Probatur utraq; pars simul: *Experientiâ constat, intellectum ex frequenti exercitio acquirere facilitatem assentiendo his principiis, sed talis facilitas non est aliud, quàm habitus acquisitus per frequentes actus, ut patet in aliis habitibus; ergò vel nullus datur habitus, vel datur habitus principiorum.* Probatur consequentia: *Quia idè à posteriori colligimus, dari habitum scientiæ, quia experimur, nos post multos actus facilius præbere assensum conclusioni, quàm ante, sed idem currit in principiis, nam dum primò illa apprehendimus, non statim illis cum tanta facilitate assentimus, etsi talia principia sunt propositiones per se notæ, sicut post multos actus, ut patet in rustico, qui non statim assentit cum omni facilitate huic propositioni, totum est majus suâ parte, sed cum aliqua difficultate, postea autem per frequentes actus gignitur aliqua facilitas, quæ habitus cum omni promptitudine assentit istis principiis, cum quæ non assentiebatur ante; Adverte tamen me non dicere, quòd iis non possit quis assentiri sine habitu, sed dico, quòd non possit cum tanta facilitate sine habitu, cum quanta potest cum habitu.*

**Dico 2.** *Habitus principiorum non sunt nobis congeniti; sed per actus nostros acquisiti.* Ita Aristoteles 6. Eth. 3. & 6. ubi dicit: *habitus principiorum fuisse intellectu superadditos; & Probatur Conclusio ratione: Si habitus essent nobis congeniti, essent omnibus à partate, sed non sunt congeniti omnibus; ergò nulli, major patet, quia quod est à natura, nulli denegatur, minor etiam patet in his, qui acquiruntur.*

runt habitum contrarium negantq; prima principia, quales erant antiqui quidam Philosophi teste Aristotele. Secundò, si habitus essent nobis congeniti, non experiremur à principio aliquam difficultatem assentiendo primis principiis, quod falsum, experientia probat.

**Dices:** Deus non creavit naturam destitutam principio suarum actionum naturalium, cum Dei perfecta sint opera, sed habitus principiorum sunt talia; ergò Deus non creavit naturam destitutam his. **R. 1.** Quòd si argumentum valeret, probaret etiam, quòd species essent nobis congenitæ omnium rerum, vel concreatæ, quia sine illis intellectus non potest alicui assentiri, quod est falsum. **R. 2.** negando ma. Deus enim perfectè creavit naturam, licet non concreaverit illi hos habitus, sufficit enim, quòd dederit illi principium activum, intellectum videlicet, per quem potest mediante suo labore propriè acquirere omnes habitus naturales, qui non sunt necessarii ad simpliciter operandum, sed tantum secundum quid, seu ad facilius & promptius, & si quando dicunt Sancti Patres, habitum principiorum practicum esse ipsum lumen naturale, per hoc intelligunt ipsum intellectum practicum.

**Dico 3.** Probabile est destructo habitu principiorum, naturaliter destrui habitum conclusionis, sed non e contra. Prima pars probatur: Assensus conclusionis quæ talis, nequit esse sine principiis, vel præmissis, vel saltem secundum alios sine recordatione eorum; ergò nec facilis assensus sine facili assensu principiorum; probatur consequentia, quia sicut motus equitationis non est nisi à motu equi, ita nec motus velox, vel facilis equitationis sine motu veloci, vel facili equi. Item si veritas præmissarum sit dubia, vel obscura, etiam conclusio erit talis; ergò si difficilis erit assensus præmissarum, difficilis erit etiam conclusio, si facilis, facilis pariter.

**Arguitur.** Theologus qui incidit in hæresin, est tam facilis in discurrendo Theologicè quam antea, sed in illo casu non habet habitum principiorum; ergò habitum conclusionis; ergò potest esse habitus conclusionis sine habitu principiorum, ma. experientia patet; minor verò probatur, quia per hæresin amittitur habitus principiorum supernaturalium, consequentia est bona. **R.** Theologus, qui incidit in hæresin amittere habitum principiorum supernaturalium, & habitum conclusionis supernaturalis, quòd autem tunc promptè, & æquè facilitè argumentetur, non provenit ex habitu conclusionis Theologicæ, sed ex habitu naturali, nam nullus Theologus semper elicit conclusiones Theologicas, sed etiam naturales, tunc videlicet, quando conclusiones ex præmissis non fide divina, sed humana creditis, sunt.

**Instatur.** Casu quo talis Theologus semper assenserit conclusioni, tantum propter præmissas fide divina creditas, tunc post lapsum sentiret aliquam facilitatem in discurrendo, ergò saltem tunc maneret habitus conclusionis supernaturalis. **R.** Talem Theologus non

posse habere aliquam facilitatem Theologicam, sed si habet aliquam, illa proveniet ab aliis habitibus Logicis videlicet, vel Phisicis.

**Urgetur.** Quòd sit in me habitus conclusionis, sine habitu præmissarum, nihil obstat, quàm quòd sim facilis circa conclusionem, & non circa præmissas, sed hoc non sequitur; ergò potest esse habitus conclusionis sine habitu præmissarum; minor probatur, dantur habitus, qui nunquam facilitant, vel exeunt in actum, ut sunt habitus fidei in Christo, & modò est in beatis, item habitus Phisici & Metaphisici, quos hic in via viri docti acquisierunt, & defacto retinent, qui nunquam facilitant illos amplius, cum omnia in verbo videant. **R.** negando ma. & dico cum Scoto 3. d. 31. n. 7. inconveniens est dari habitum, qui nunquam exeat in actum, unde in Christo Domino nunquam fuit habitus fidei, quia ab instanti conceptionis comprehensor fuit, nec defacto est in beatis, cum clarè Deum videant, claritas autem, & obscuritas ad invicem esse non possunt. Item in viris doctis non sunt amplius habitus Phisici vel Metaphisici rerum, quas clarè vident, esto forte sint rerum, quas in verbo non vident, & sic forte Christus, & beati habent habitum fidei respectu objectorum non visorum in Patria.

**Dico 4.** Habitum principiorum distinguitur ab habitu scientifico conclusionis. Ita Scotus supra in secundo his verbis; Ad tertium dico, quòd per habitum principii tenditur in principium secundum propriam veritatem, quam habet ex terminis, & per habitum conclusionis tenditur in conclusionem secundum propriam veritatem, quam habet ex terminis à veritate principii, & primo loco sic ait: aliam evidentiam habet principium ex propriis terminis, & aliam conclusio ex suis alterius rationis, licet ista evidentia sit causata ab ista, & potest esse alius habitus respectu hujus, & illius, qui respicit formalem veritatem hic & ibi. Sed

**Dices:** Intellectus sufficientè determinatur ad assensum conclusionis per habitum principiorum; ergò superfluit alius habitus de conclusione distinctus ab habitu principiorum; probatur consequentia, quia ad nihil deseruit. **R. 1.** argumentum æq; probare, quòd assensus actualis principiorum sit idem realitè cum assensu conclusionis, nam assensus principiorum determinat conclusionis tam benè imò multò meliùs, quàm habitus principiorum; ergò si hoc non obstante assensus principiorum distinguitur ab assensu conclusionis, etiam habitus ab habitu. **R. 2.** negando consequentiam, & ejus probationem, nam non ideò habitus ponitur in potentia, quia est determinata, vel non determinata ad agendum, aliàs vix admitteretur habitus, sed propter difficultatem, quam sentit potentia in eliciendo actum, patet autem, habitum conclusionis facilitare ad assensum conclusionis, licet per præmissas sit intellectus determinatus ad agendum.



R. 2

QUÆ

VII.  
Sunt habitus distincti.

VIII.

## QUÆSTIO III.

An Scientia habitualis sit una & quomodo?

I.

Alia scientia est universalis alia particularis.

Numerantur sententiæ.

Duplex est Scientia habitualis, una partialis, totalis altera; scientia partialis est habitus inclinans ad assensum scientificum de objecto partiali alicujus scientiæ totalis, verbi gratiâ, habitus inclinans ad assensum scientificum de Syllogismo, aut modo sciendi. Scientia totalis est ex omnibus habitibus partialibus alicujus scientiæ aggregatum, talis est Logica, Physica, quæ in se continet omnes habitus partiales Logicæ, vel Physicæ. Quæstio ergo hæc non agitur de scientia actuali, an sit una, quia certum est eam esse qualitatem simplicem & indivisibilem, cum non distinguatur ab ipso actuali assensu Conclusionis, sed de scientia habituali, eaq; totali. Circa titulum quæstionis prima sententia est D. Thomæ 2. q. 54. art. 4. & Thomist. afferentium, habitum totalem alicujus scientiæ totalis esse qualitatem simplicem, & omnino indivisibilem, non obstantem diversitate specificâ objectorum & actuum, pro quo supponit D. Thomas cum suis, habitum posse augeri dupliciter intensivè, & extensivè. Intensivè, quando in eadem parte subjecti acquirit plures partes per additionem unius partis ad aliam, non secus ac calor, dum in eadem parte subjecti, verbi gratiâ, ligni acquirit plures gradus: Extensivè perficitur, quando ad plures conclusiones, vel objecta se extendit, licet in se maneat simplex & unicus, non secus ac calor, qui se extendit ad plura calefactibilia, ait autem D. Thomas, quod quando aliquis acquirit scientiam unius conclusionis per demonstrationem, statim habet habitum, sed imperfectè, quando autem postea acquirit scientiam alterius conclusionis, non generari in eonovum habitum, sed tantum priorem intendi, ita ut, qui primo fuit imperfectior, per illum alterum perficiatur, & sic de cæteris conclusionibus, sed hæc sententia refutabitur, & quidem quoad habituum intensionem spectat, cum illam admittant, consequenter loqui videntur, nam notum est illud D. Thomæ & Thomist. quod qualitas non intendatur per additionem unius gradus ad alium in eadem parte subjecti, sed per majorem, ut loquuntur radicationem; ergo quando in præsentis casu dicunt, intendi habitum per additionem unius gradus ad alium gradum, non consequenter loquuntur. Secunda opinio est Scoti 1. d. 4. & in Met. lib. 6. q. 1. n. 18. afferentis scientiam totalem non esse unam simplicem qualitatem, sed esse aggregatum ex pluribus partialibus habitibus specie distinctis, quem sequuntur sui, & Nominales ac Recentiores passim, cum quæ ad quæst.

II.

Scientia habitualis non est simplex qualitas.

DICO. Scientia totalis habitualis non est una simplex qualitas, sed aggregatum ex pluribus specie distinctis. Est Scoti supra & in Prologo. q. 3. n. 5. & in 3. d. 25. q. 2. art. 3. & Probatur rationibus Doctoris, primò ex Ratione ejus in Met. supra. Secundum D. Thomam & suos, actus naturaliter est generativus habitus per hoc, quod naturaliter sui similitudinem relinquit in passio, sed eorum, quæ differunt specie sunt diversæ

similitudines naturales, maxime quando agunt secundum proprias rationes; ergo quanta est differentia actuum, tanta est differentia habituum. Probatur secundò ratione Doct. supra in 1. Duo individua ejusdem speciei non exigunt necessariò duas causas totales diverse speciei, sed habitus scientiæ totalis necessariò exigunt duas totales causas; ergo non sunt ejusdem speciei; major probatur dicendo per singula individua ejusdem speciei, nam duo calores, duæ albedines non exigunt necessariò duas causas totales diverse speciei. Probatur mi. Quia habitus necessariò exigunt produci ab actibus ejusdem speciei, quos ipsi iterum producere possunt, sed actus de diversis specie objectis partialibus specie distinguuntur, nam actus distinguuntur produci à diversis specie causis, seu necessariò exigunt produci ab his actibus, & sic idem numero simplex habitus, non exigunt necessariò produci à diversis specie causis, seu actibus. Probatur terriò: Si habitus scientiæ totalis esset unicus & simplex, sequeretur, quod qui haberet habitum scientificum demonstrandi passionem de Syllogismo, verbi gratiâ, nihil ignoraret in tota Logica, sed esset facilis ad omnes alias conclusiones scientificas in Logica, quod si verum esset, nequaquam contingeret, quod tam frequenter nonnulli, qui manum applicarent ad aratrum, tam citò se reciperent retrò, nec in Academicis Neotericorum tot Logicam ad clavum suspenderent, & clavam, vel potius stivam apprehenderent, probatur sequela, quia iste unicus habitus est, qui faciliat ad omnes alias conclusiones aequaliter secundum Thomistas; ergo si aliquis haberet unicum habitum partialem de Syllogismo, esset facilis ad omnes alias conclusiones in Logica eliciendas.

Dices: Hoc non sequi, quia potest esse

scientia de una conclusione scientiæ totalis, & ignorantia, & error de alia, quia ille simplex habitus nondum se extendit ad illam aliam conclusionem, circa quam est error. Sed Contra 1. Vel ille habitus, qui primò tendit in Syllogismum, verbi gratiâ, & postea in propositionem, necessariò tendit in propositionem, vel non tendit, neutrum dici potest in sententia Adversariorum; ergo &c. non primum, quia si necessariò tendit in propositionem, debet necessariò tendere in ipsam in omni instanti in quo tendit in Syllogismum, alioquin non necessariò tenderet in propositionem; ergo in omni instanti in quo est habitus scientificus de Syllogismo, erit etiam de propositione, & per consequens posito habitu scientifico de Syllogismo, implicat esse errorem de propositione in sententia Adversariorum, quod est jam probatum: Nec etiam secundum, quia inconveniens est, habitum posse formaliter tendere in aliquid, in quod possit non tendere, cum sit naturalis causa agens secundum ultimum posse, nisi impediatur, & consequenter tendit in quodlibet, in quod potest tendere. Dixi formaliter, quia habitus tendens formaliter in objectum primum scientiæ totalis, tendit virtualiter in omnia inclusa in illo objecto. Contra secundò: Non est imaginabile quomodo habitus li-

mitat

mitatæ virtutis, & activitatis idem numero manens, possit se extendere ad tot diversos specie actus, verbi gratiâ, habitus inclinans me ad hunc assensum, Omnis oratio in quâ quibusdam positus, aliud ex his &c. possit etiam tendere in hunc assensum, propositio est oratio unius de alio entitativa. Unde si vera esset opinio illa, frustra juvenis tot annos in Scholis teneret vestes & scamna, quia per unam horam forte unum simplicem habitum possent acquirere, qui valeret ad totas scientias comprehendendas. Sed

**Instatur.** Multæ sunt scientiæ, quæ non habent pro objecto aliquid unum, aut speciem, aut genere, sed omnia disparata ut Theologia, quæ habet pro objecto Deum, sacramenta virtutes, &c. quæ nullo modo sunt unum, aut genere, aut specie. R. Illa omnia, quæ considerantur in Theologia reduci ad Deum, & sic Deus erit objectum adæquatum, & attributionis in Theologia, cætera autem erunt objecta partialia, quæ tamen etiam reduci debent ad objectum totale.

QUÆSTIO IV.

Quomodo corrumpatur habitus scientificus?

**Suppono** habitum supernaturalem infusum non posse à nobis corrumpi, nam cum habitus supernaturales infusi sint, termini creationis erunt etiam termini annihilationis, & per consequens, sicut à Deo solo creari possunt, ita etiam ab ipso solo poterunt annihilari, quare tantum controvertitur de habitibus per nos acquisitos vel acquisibiles, dico acquisibiles, quia licet Deus mihi, verbi gratiâ, aut alicui alteri infunderet habitum Logicæ, ille poterit corrumpi per habitum contrarium, quia ille non est supernaturalis quoad substantiam, licet sit supernaturalis quoad modum, quo acquisitus fuit. Itaq;

I. *Habitus infusi à nobis non corrumpuntur.*

**DICO I.** Actus oppositus corrumpit habitum scientiæ efficienter, in quantum scilicet producit habitum oppositum, verbi gratiâ opinionis, qui formaliter opponitur scientiæ.

II. *Actus oppositus corrumpit habitum.*

**Probat**ur Conclusio: Illud rectè dicitur destruere aliud effectivè, quod effectivè producit aliquid incompatible cum illa re destructa, sicut sol dicitur effectivè destruere frigus in manu, quia in ea producit calorem, ergò.

**DICO 2.** *Habitus naturalis nunquam corrumpitur, aut destruitur formaliter, & immediate nisi per habitum oppositum.* Probat: *Habitus non expellitur formaliter, & immediate per cessationem ab actu, ut experiètiâ patet, nisi occasionativè; nec per hoc quod corrumpatur res facta, quod probo, quia in hyeme datur scientia de rosa, licet rosa sit corrupta quoad existentiam, corruptio enim quoad existentiam rei scientiæ non sufficit ad hoc, ut corrumpatur scientia, sed deberet corrumpi quoad essentiam, hoc autem fieri nequit, ergò: Nec per hoc quod moriatur sciens, scientia corrumpitur, quia in anima separata manent habitus scientiarum: Nec deniq; quod sciens obliviscatur conclusionis, quia nulla est oppositio inter habitum, & conclusionem ejus.*

III. *in simul cum cum habitus.*

**Probat**ur Conclusio secundò. **DICO 3.** *Idèò præcisè corrumpetur habitus, quia in tempore, quo est oblivio, non est assensus præmissarum, vel conclusionis in intellectu, sed hæc ratio nulla est, quia aliàs quotiescunq; intellectus averteret se ad alia objecta ab actuali consideratione conclusionis, perderet habitum ante acquisitum, & idem dicendum de oblivione*

IV.

Rr 3 medit

IV.

**Arguitur 1.** Idem habitus specie supernaturalis potest producere actus specie diversos, habentes etiam specie diversam difficultatem, verbi gratiâ, fidei; ergò etiam naturalis quilibet alius cujuscunq; scientiæ. R. negando consequentiam, disparitas est, quia habitus infusi non producuntur per actus suos physicè, nec ullo modo ad facilitatem instituti sunt, secus est de naturalibus per actus acquisitis.

**Instatur.** Etiam idem habitus naturalis potest inclinare ad diversos specie actus; ergò nulla solutio. Probat: *ant. quia, qui acquirit habitum circa unam conclusionem, facilius deinde cognoscit secundum, sicut qui scit cantare unam cantionem, facilius deinde cantat secundam, ergò. R. negando ant. cujus prob. ant. dist. cognoscit facilius secundam, per facilitatem inclinantem determinatè, nego ant. inclinantem indeterminatè, concedo ant. unde idem habitus per concomitantiam juvat potentiam ad actum secundum diversæ rationis, quatenus in ratione generica convenit cum actibus propriis illius habitus.*

**Urgetur.** Habitibus cujuscunq; scientiæ totalis, debent habere aliquam unitatem, sed nullam potius quàm simplicem, ergò. Probat: *ma. quia quælibet vocatur una. Probat: mi. debent habere majorem unitatem, quàm habitus aliarum scientiarum; ergò debent habere unitatem simplicem, quia alias omnes scientiæ habent unitatem aggregationis & ordinis, ergò. R. negando mi. cum consequentia probationis ad cujus rationem dico, quod omnes quidem scientiæ habeant unitatem aggregationis in ordine ad subiectum, non tamen omnes habent unitatem aggregationis in ordine ad objectum.*

**Arguitur 2.** Si habitus scientiæ totalis non esset una simplex qualitas, nulla scientia esset una, & sic nec Logica, nec Physica esset una, sed hoc est inconveniens, ergò. Probat: *ma. Quia juxta nos quælibet scientia totalis habitualis, est aggregatum ex pluribus habitibus specie distinctis, partialibus tamen, sed hoc aggregatum non potest dici quid unum, cum sit specie multiplex, ergò. R. cum Aristotele I. post cap. 23. scientiam totalem habitualem dici unam ab unitate sui objecti, nam si objectum sit aliquid genericum includens alia plura, vel per modum causæ, vel per alium ordinem, ut ait Scotus, scientia erit generica, si specifica, scientia erit una species similiter.*

medii demonstrationis. Et quod per se non corrumpat, utrumque tenet Scotus 6. Met. ubi admittit aliquem, dum addiscit secundum librum Geometriæ, posse admittere prius scita in libro primo, & tamen cum hoc retinere habitum, quem habuit in primo libro, sed per scitum intelligit conclusionem, & eadem prorsus est ratio de oblivione medi, ac conclusionis, ergo. Dixi per se, quia oblivio medi potest esse causa per accidens destructionis habitus scientiæ, in quantum scilicet potest quis tempore oblivionis elicere actus opinativos, seu erroneos, qui actus concurrant ad suos habitus formaliter oppositos, & incompatibiles habitui scientiæ, & idem dic de Conclusionem. Restat ergo tantum probare, quod non per actum oppositum, quod sic præsto: Quia non corrumpit nisi in quantum producit habitum oppositum, sed hoc non est destruere formaliter, & immediatè, ergo ma. patet. Quia actus oppositus est compatibilis cum habitu scientiæ, ut patet in eo, qui habet habitum fidei de hoc quod Deus sit, & potest habere actum scientificum de eodem, & in eo qui acquirit habitum intensissimum opinionis de hac propositione, homo est risibilis, & postea acquirit actum scientificum de eodem: mi. probatur quia aliàs sol producit calorem in manu mea esset causa formalis expulsionis frigoris, quod nemo somniavit. Sed

V. **Opponitur** Autoritas Aristotelis hic cap. 6. ubi assignat quatuor causas corruptionis habitus, primam destructionem rei scitæ, secundam interitum scientiæ, tertiam oblivionem conclusionis, & quartam oblivionem medi. R. Aristotelem tantum velle, quod per illa quatuor destruat scientia quoad actum, non verò quoad habitum, & ita exponunt eum Theophrastus, Themistius &c. Vel etiam si intelligit aliquid de habitu, dici potest, quod non destruant formaliter, sed tantum occasionatè.

## QUÆSTIO V.

*Quid sit scientia actualis propriè dicta, & an sit de ejus essentia certitudo, & evidentia?*

I. Plura, quæ hic præmitti deberent, jam tradidi in summulis; unde supponendo varias scientiæ acceptiones, & conditiones

II. **DICO I.** *Scientia ut sic, prout est communis scientia à priori & posteriori est cognitio certa, & evidens alicujus necessarii, causata per discursum syllogisticum.* Probatur, quia constat genere & differentiâ, nam ly cognitio ponitur loco generis, cætera loco differentiæ, per ly certa excluditur opinio, per ly evidens fides tam divina, quam humana, quæ licet, id est divina, maxime certa sit, non est tamen evidens: per ly alicujus necessarii excluditur cognitio cujuslibet contingentis, etiam si sit certa & evidens: per ly discursum syllogisticum excluditur quæcunq; cognitio etiam si sit certa & evidens, ac de objecto necessario, quæ non est acquisita per talem discursum. Sed Incontra

III. **Arguitur.** De ente mobili quâ tali potest haberi scientia, quia secundum nonnullos

ens mobile est objectum Physicæ, sed mobile quâ tale potest se aliter habere; ergo scientia non est de objecto, quod se potest aliter habere, & consequenter malè dicitur in definitione alicujus necessarii. R. transeat ma. de quâ in Physica diff. mi. quoad terminum ipsius mobilitatis, seu ipsum motum, concedo mi. quoad ipsam mobilitatem, nego mi. Unde sciendum, ens mobile posse comparari ad ipsam mobilitatem, vel ad terminum quem acquirit ipsa mobilitas, sicut homo potest comparari ad risibilitatem, vel ad terminum risibilitatis, seu ipsum risum, si consideretur ens mobile ad ipsam mobilitatem non potest se aliter habere respectu ejus, quia necessariò est mobile, ac proinde de ipso, quâ mobile potest haberi scientia, si verò comparatur ad terminum mobilitatis, potest aliter se habere, sed de ipso, ut sic non habetur scientia.

**DICO 2.** *Scientia à priori propriè dicta bene definitur à Philosopho 1. Post. cap. 2. quod sit cognitio certa, & evidens, alicujus necessarii per suam causam necessariam acquisita per discursum syllogisticum.* Cognatio ponitur loco generis, cætera loco differentiæ, per ly suam causam necessariam excluditur scientia à posteriori, quæ non est per causam, sed per effectum, item causa contingens, seu libera alicujus necessarii tale enim causatum, licet sit necessarium, quia tamen non per causam necessariam excluditur à ratione scientiæ propriè dictæ. Cætera particulæ explicantur eodem modo, sicut in priori, nec de his ulla est particularis difficultas.

**DICO 3.** Tam certitudo, quam evidentia est de essentia scientiæ. Ita Connimb. Contra Albertum M. & alios Thomistas quantum ad evidentiam est; etiam ipsius Scot. q. 3. Prol. n. 26. & alibi, quæstione tamen citata sic ait: *Ad primum dico, quod quatuor includat scientia propriè dicta, primo quod sit cognitio certa, id est absque deceptione & dubitatione: secundo, de cognito necessario, seu objecto: tertio, causata à causa evidenti: quarto, applicata intellectui per discursum syllogisticum.* Et has quatuor conditiones requirit, patet ex definitione data.

**Probatur Conclusio primò:** Ex D. Bernardo Lib. 5. de Confid. cap. 3. ubi dicit: *Intellectus (id est scientia) habet veritatem nudam & apertam, verum nempe intellectum certam habet non modo veritatem, sed etiam veritatis notitiam.* Intellectus est rei cujuspiam invisibilis certa & manifesta notitia, per quæ non modo probatur conclusio, sed etiam bene definitur & declaratur, quid sit scientia. Probatur ratione: Aliqua conditio ex quatuor enumeratis est de essentia scientiæ; ergo omnis: probatur consequentia, quia non est major ratio de una, ac de altera, cum omnes æqualiter posuerit Aristoteles in definitione.

**Probatur secundò:** Conclusio deducta ex præmissis probabilibus est probabilis, ex obscuris obscura; ergo deducta ex certis & evidentibus erit certa & evidens, ab omnimoda paritate; subsumo, sed præmissæ debent esse certæ & evidentes; ergo etiam conclusio ex illis deducta.

QUÆ

QUÆSTIO VI.

De Subalternatione Scientiarum.

De Scientiarum subalternatione agit Aristoteles hic I. Post. cap. 9. quales fere omnes Doctores dari fatentur, unde per subalternantem illam intelligunt, quia sub se aliam continet, quæ verò sub alia continetur, subalternata dicitur: Potest autem hæc continentia scientiarum, seu subalternatio tripliciter intelligi. Primò ratione finis, quando videlicet finis unius subalternatur fini alterius, sic subalternatur ars frœnificatoria equestri, & equestri militari, quia finis unius subordinatur fini alterius, artis frœnificatoriæ est finis in frœnum, & inseruit equestri & equestri finis subordinatur militari. Secundò ratione principiorum, quando nimirum principia subalternatæ sunt conclusiones, demonstratæ in subalternante, & sic Medicina subalternatur Physicæ, quia principia Medicinæ possunt demonstrari in Physica. Tertio Ratione objecti, quando scilicet objectum unius continetur sub objecto alterius. Quod adhuc dupliciter fieri potest, primò quando subiectum subalternantis contrahitur ad objectum subalternatæ per differentiam accidentalem, ut numerus contrahitur ad numerum sonorum, qui est objectum musicæ, numerus vero in se arithmetice: secundò quando sic contrahitur per differentiam essentialem, ut corpus mobile, quod secundum multos est objectum Physicæ, contrahitur ad corpus cœleste, quod multos objectum est scientiæ de cœlo. De his ergò tribus modis queritur, qui nam sufficiat, ut una scientia dicatur subalternata alteri, & altera dicatur subalternans. Ad quod

nam hæc est demonstratio Geometrica, ut habet Scotus: Omnis circulus habet latera æqualiter distantia, sed omne vulnus rotundum est circulus; ergò omne vulnus rotundum habet latera æqualiter distantia, tunc accedens Chyrurgus facit hanc demonstrationem: Omne vulnus rotundum habet latera æqualiter distantia, sed omne vulnus habens latera æqualiter distantia, est difficulter sanabile; ergò omne vulnus rotundum est difficulter sanabile. Et quòd non sufficiat ad scientiam subalternatam, ut accipiat sua principia ab alia, & non evidentiam, sic probatur & suadetur, quia Theologia nostra secundum Scotum & veritatem, non subalternatur Theologiæ Beatorum, & tamen Theologiæ nostræ principia possunt demonstrari à Theologia Beatorum, etiam à priori, verbi gratià, hoc principium nostræ Theologiæ: Omne revelatum à Deo est verum, non beatus ex aliquibus principiis intuitivè visis potest hanc propositionem demonstrare & sic in Theologia beatorum potest esse conclusio, quæ in nostra est principium, requiritur ergò ulterius, quòd accipiat suam evidentiam à subalternata, quod cum repugnet Theologiæ nostræ, quæ ex se est obscura, non subalternatur Theologiæ beatorum, nec ulli scientiæ.

Dico 3. Requiritur etiam ut objectum scientiæ subalternata contrahatur per differentiam aliquam accidentalem. Hæc esse videtur satis Communis, ejusq; sensus est, quòd licet scientia subalternata habeat idem objectum cum subalternante, in ea tamen illud objectum per accidentalem aliquam differentiam posse modificari debet. Probatur: Scientia subalternata debet tam bene constituere unam scientiam totalem, quàm subalternans, sed si subalternata non contraheret suum objectum per differentiam accidentalem, non posset constituere unam scientiam totalem; ergò probatur minor, quia quandocunq; contrahitur aliquid objectum per differentias essentielles, vel per proprietates, illa possunt reduci ad illud objectum adæquatum, veluti aliquid sui, ergò tunc erunt potius partes unius scientiæ quàm diversa; Quòd autem differentia accidentaliter verè diversificet, patet, de Chyrurgia, & Geometria, &c. Medicina, & Physica. Sed incontra

IV. Debet etiam objectum contrahi per differentiam aliquam accidentalem.

Arguitur. De Ente per accidens non potest haberi scientia, sed si objectum contrahitur per differentiam accidentalem, erit ens per accidens; ergò de eo non poterit haberi scientia. R. Quòd quando dicitur objectum scientiæ subalternantis contrahi per differentiam accidentalem, non intelligitur ea differentia, quæ facit verè unum per accidens, sed eam quæ non constituit novam aliquam speciem.

Instatur. Saltem aliquando differentia contrahens facit unum per accidens ex subiecto subalternantis, quia sonorus contrahens numerum ad objectum musicæ, facit ens per accidens respectu illius; ergò tunc saltem erit scientia de ente per accidens. R. negando consequentiam. In tali enim casu scientia subalternata dupliciter potest representare objectum, quod in se est ens per accidens, primò quòd habeat differentiam pro contrahentem objecto, vel

Subalternans

VI. Scientia

V.

II. Altera subalternata, non sufficit, quòd objectum unius continetur sub objecto alterius. Ita in re Scotus q. 3. Prologi & quest. 4. lat. n. 29. ubi dicit: objectum Theologiæ contineri sub objecto Metaphysicæ, nam Deus continetur sub ente, & tamen secundum Scotum & alibi, Theologia non subalternatur Metaphysicæ.

III. Dico 2. Ultra subordinacionem objecti requiritur ad scientiam subalternatam, quòd dependeat à sua subalternante in sua evidentiâ, seu quòd accipiat suam evidentiam, & principia à subalternante, ita ut principia subalternatæ, sint conclusiones demonstratæ in subalternante. Est Scoti supra quatenus dicit, quòd ibi incipit subalternata, ubi desinit subalternans. Et Probatur Conclusio qualibet, & maxime conclusio demonstrativa dependet in sua evidentiâ à suis præmissis, sed conclusiones demonstratæ in subalternante sunt præmissæ subalternatæ; ergò conclusio demonstrata in subalternata dependet in sua evidentiâ à subalternante, major & minor patet. Probatur consequentia: Quia à quocunq; dependet præmissæ, dependet etiam conclusio, sed præmissæ subalternatæ dependent à præmissis subalternantis, cum conclusio subalternantis, quæ est una ex præmissis subalternatæ, essentialiter dependeat à suis præmissis, sic ars chyrurgica demonstrat vulnus rotundum esse difficulter sanabile, nam chyrurgus assumit unam pro præmissa conclusionem demonstratam à Geometria,

V.

vel ipsam naturam, contractam, & differentiam pro ratione, sub qua, vel pro conditione. Secundo ut demonstret passionem, tam de differentia, quam de objecto contracto, ut unum eorum habeat pro objecto primario, & aliud pro secundario sicut scientia, quæ est in recto de superfi-

cie, in obliquo est de linea, & quocumque modo consideretur, & respiciat objectum, non erit de ente per accidens, quia ens per accidens importat plura in recto, quorum neutrum est in potentia per se ad alterum.

## DISPUTATIO VI. IN LIBROS TOPICORUM.

**P**AUCA hic dicenda restabunt, cum plura eaq; tunc necessaria in Summularum pramiserimus, dicuntur autem Libri Topici, seu de discursu probabili, quem faciunt fides humana, & opinio. De quibus pro complemento, tum hujus partis, tum totius Logicae hic breviter aliquid dicam. Itaq; sit

### QUÆSTIO I.

*Quid sit fides & opinio, & quomodo inter se distinguantur?*

**F**ides tum in sacra Scriptura, tum à Patribus frequenter scientia vocatur, nam apud Job. 19. v. 25. sic habetur: scio quod redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & D. August. lib. de Doct. Christiana ait: Non verendum dicere nos scire, quæ idoneis testibus nominantur. & 15. de Trinit. 12. à Doctore relatus, absit ut scire nos negemus, quæ testimonio didicimus aliorum, alioquin nesciremus esse oceanum, nesciremus esse terras, atq; urbes, quæ celeberrima forma commendat; verumtamen non est scientia proprie dicta, sed est assensus determinatus alterius partis contradictionis propter auctoritatem, & testimonium dicentis. Dicitur Assensus, in quo cum scientia convenit, & aliis notitiis, seu necessariis, seu probabilibus: dicitur determinatus, in quo distinguitur à dubio & suspitione, quia dubium, & suspicio faciunt, ut in neutram partem fiat determinatio, sed maneat simpliciter anceps, & in judicio suspensus: per particulam verò propter auctoritatem & testimonium dicentis, distinguitur tum à scientia, tum ab opinione, à scientia quidem, quia illa habet evidentiam, & quia fit propter rationes necessarias, & intrinsecè connexas, non sic fides; tum ab opinione, quæ licet etiam innitatur motivo probabili, illud tamen est intrinsecum propter connexionem prædicati cum subjecto, fidei verò motivum est extrinsecum, scilicet testimonium alienum. Et quia hoc testimonium est duplex, unum divinum, & infallibile, seu supernaturale & infusum, iterum est fallibile creatum, & humanum, imò etiam angelicum, idè etiam fides est duplex, scilicet divina, & humana inter quas hoc potissimum est discrimen, quia fidei divinæ simpliciter non potest subesse falsum, quia innititur testimonio Dei, qui nec fallere, nec falli potest, unde quoad certitudinem, quam maxime accedit ad scientiam, imò eam superat, licet quoad evidentiam e contra deficiat; Eam describit D. Paulus ad Heb. 11. sic: Fides & sperandarum substantiarum rerum, argumentum non apparentium. Et D. Bernardus lib. 5. de consid. cap. 3. dicit, quod sit Voluntaria quædam certa prælibatio, nec dum propalata veritate, Fidem hu-

Describitur  
fidei,

manam confundit frequenter Aristoteles cum opinione, ut 2. de An. 157. & 1. Rhet. cap. 4. & 4. Top. loco 67. ubi etiam inter loca topica eam enumerat, verumtamen male, nam ut utar verbis D. Bernardi paulò ante citati gratiosè scientiam à fide & opinione distinguuntis: Omnino in hu cavenda est confusio, ne aut in certis opinionibus figat, aut quod firmum fixumq; est fidei opinio revocet in quæstionem, & hoc scientiam, quod opinio si habet assertionem temeraria est, fides si habet hesitationem vixima est. Opinio est quasi pro vero habere aliquid, quod falsum esse nescias. De qua proinde etiam quaeritur, quomodo ab opinione distinguatur, quia certum est, divinam distinguere propter certitudinem summam, & infallibilitatem.

**Opinio** Benè describitur, quod sit cognitio, seu assensus determinatus alterius partis contradictionis, cum formidine alterius, seu de opposito. Quæ descriptio communiter in Scholis recipitur, licet Aristoteles eam aliter definiat 1. Post. cap. 24. l. 44. quòd sit assensus immediata propositionis, non verò necessariorum, verumtamen non est tam clara sicut prior, imò potius est descriptio principiorum probabilium, non verò conclusionis probabilis, & etiam Aristotelem non plus ibi intendere, patet ex contextu. Dicitur itaq; opinio Cognitio, in quo convenit cum scientia & aliis notitiis, sive claris & obsecuris, seu probabilibus, aut necessariis. Reliquæ particulæ explicantur, sicut superius in definitione fidei, præter ultimam, scilicet de formidine de opposito, quia licet intellectus propter rationes urgentes, se determinet ad assensum, ista determinatio tamen non est ita fixa & stabilis, ut non habeat tamen adhuc pensam aliquam formidinem de altera parte, & per hoc distinguitur à scientia, quæ est sine ulla propterea formidine, ex eo quòd objectum sit necessarium, ut non sit possibile, quòd se possit aliter habere; opinionis verò objectum est variabile, ita ut se possit aliter habere, idè semper adest formido, & licet aliquando etiam sit circa objectum necessarium, non tamen modo necessario, quia adhibet tantum medium probabile, & dialecticum, quòd potest in probatione deficere, ita ex uno vel altero capite est formidini obnoxia. Et hæc satis dicta putat esse pro prima parte tituli. Pro secunda resolvenda, duplex est  
sententia

sententia: Prima dicit omnem fidem humanam & opinionem esse ejusdem speciei, ita Soto, Ma-  
fius, &c. Secunda verò docet fidem, quæ est  
cum evidentiâ attestantis, & veritatis, id est,  
quando est evidens, homines fide dignos talem  
rem attestatos esse, & ipsum perevidens est,  
ipso verum dicere, fidem esse specie diversam  
ab opinione, aliâs verò esse ejusdem speciei. Ad  
quod resolvendum

III. **Dico I.** Fides humana, & opinio distin-  
guuntur specie. Ita Connimb. hic q. 1. cap. 26.  
art. 2. &c.

**Probatur primò:** Actus & habitus  
distinguantur specie, quando rationes formales  
movendi, vel assentiendi distinguantur specie,  
sed in opinione & fide rationes movendi, & as-  
sentiendi distinguntur specie, ergo etiam fi-  
des & opinio: ma. probatur, quia non aliunde  
colligimus fidem humanam, & divinam distin-  
gui specie. Probatur mi. tum autoritate D.  
Bernardi, qui lib. 7. de considerat. cap. 3. ait:  
*Invidetum (id est scientia) rationi innititur, fides  
autem ut actus, opinio sola verisimilitudine se tuetur, tum  
quia ratio formalis assentiendi, respectu fidei  
humanæ, est testimonium hominis, opinionis  
verò est aliqua ratio probabilis.*

**Probatur secundò:** Nihil repugnat  
uni individuo alicujus speciei, quod non repu-  
gnat omni individuo ejusdem speciei, sed ali-  
quid repugnat opinioni, quod non repugnat  
fidei humanæ; ergo probatur minor, quia opi-  
nioni repugnat omnimoda certitudo ex parte  
actûs non sic autem fidei humanæ, quia quando  
creditur aliquid ob determinationem Pontifi-  
cis, vel alicujus Concilii Generalis, tunc est  
omnimoda certitudo & tamen est secundum quid  
& in modo motivum humanum, ergo. Confir-  
matur: quia fides habet tantum principium mo-  
tivum extrinsecum, opinio verò habet intrin-  
secum, scilicet ipsam probabilem connexionem  
cum objecto, ergo. Sed in Contra

IV. **Arguitur:** Fides humana & opinio sunt  
æquales in certitudine & evidentiâ; ergo non  
distinguantur specie: ant. probatur, quia ali-  
quando confirmamus fidem humanam per ra-  
tionem probabilem, & contra; ergo sunt pa-  
res in certitudine. R. dissimulato antecedente,  
cujus probationis ant. nihil probat, nam sæpè  
per rationes probabiles, tanquam per res nobis  
magis notas confirmamus illa, quæ in se sunt  
certissima, verbi gratiâ, articulos fidei, sed ut  
dixi, quidquid sit de antecedente, nego conse-  
quentiam; licet enim fides & opinio sint æqua-  
les in certitudine & evidentiâ, tamen diversifi-  
cantur species penes motiva formalia specie di-  
stincta, quod sufficit ad eorum specificam di-  
stinctionem, patet enim, quod intra latitudi-  
nem ipsius opinionis, possunt dari duæ opinio-  
nis specie diversæ, si habeant pro motivo forma-  
li duas rationes probabiles diversas, licet sint  
æquales in certitudine & evidentiâ, sicut pos-  
sunt dari duæ scientiæ specie diversæ, quæ ha-  
bent duo specie diversâ motiva formalia, ergo  
à pari.

**Instatur:** Possum assentiri testimonio  
humano propter rationem probabilem, quia  
F. Anandæ Hermann Logica.

possum assentiri dictis Petri, quia est syncerus  
& verax homo; ergo tunc dabitur assensus fidei  
humanæ, qui etiam erit opinio. R. illum assen-  
sum esse opinionem tantum, quia non est pro-  
pter autoritatem Petri.

**Urgetur.** Supponatur, quod assentiam  
Petro, tam propter autoritatem ejus, quam  
propter rationem probabilem simul. R. etiam  
tunc esse actum opinionis, quia motivum opi-  
nionis debilius movet, vel si fides debilius mo-  
vet, erit actus fidei. Imò potest dici: quod sit  
actus alterius speciei planè distinctæ à fide, &  
opinione, nec hoc mirum videri debet, quia  
conclusio Theologica, quæ innititur uni præ-  
missæ fidei, & alteri naturaliter notæ non est  
assensus naturalis, nec fidei, sed medius speciei  
distinctus, scilicet Theologicus.

**Dices:** Rationem hujus esse, quia præmis-  
sa fidei non est motivum proximum conclusio-  
nis Theologicæ, sed sola illatio, & consequen-  
tèr magis debet imitari naturam hujus, quam  
illius, assensus autem in casu posito non proxi-  
mius innititur autoritati Petri, quam rationi  
probabili, nec contra. Sed Contra, assensus  
Theologicus, licet innitatur immediatè illatio-  
ni naturali tanquam motivo proximo, tamen  
specie ab ea distinguitur propter distinctionem  
specificam propositionis fidei, cui innititur, tan-  
quam motivo remoto; ergo etiam si innitatur  
ipfi proximè, & immediatè. Deinde ratio po-  
tius est in oppositum, nam si iste assensus non  
proximè innitatur autoritati Petri, quam  
rationi probabili, & contra; ergo non magis  
debet esse fidei humanæ, quam opinionis, &  
contra, & consequen-ter distinguetur specie ab  
utraque, cum assensus Theologicus proximè  
innitens motivo naturali, adhuc ab eo specie  
distinguetur.

**Restat** nunc explicare difficultatem eam,  
quæ quaeritur, num formido sit de essentia opi-  
nionis, pro cujus majori intelligentiâ notan-  
dum, formidinem opinionis esse duplicem, una  
est formido actûs, alia formido potentie: for-  
mido actûs est ipsa fallibilitas actûs vel cog-  
nitionis, cum enim motivum cognitionis seu opi-  
nionis sit fallibile, hinc ipse actus est fallibilis:  
formido potentie tunc accidit, quando intelle-  
ctus judicat aliquid esse verum cum timore, &  
formidine de opposito, cujus obvia exempla ha-  
bemus in viris timoratae conscientie, dum ju-  
dicant aliquid esse licitum, cum timore tamen  
operantur metuentes, ne fortè sit illicitum.  
Alii explicant brevius has duas formidines,  
unam quæ est potentie, formalem appellant,  
quia revera potentie inest; illam verò quæ est  
ex parte actûs, radicalem vocant, quia est actus  
talis, qui in se habet negationem certitudinis,  
ita si supra ipsum reflectatur, deprehendetur,  
quod talibus innitatur principiis, quæ falsita-  
tem simpliciter non excludant, quidquid ta-  
men sit de nomine, ad Rem

**Dico 2.** Formido, aut incertitudo potentie  
non est de essentia opinionis, formido verò, vel incerti-  
tudo actûs, vel est de essentia, vel est proprietas ejus &  
modus intrinsecus. Idem dic de fide humana; Et  
sentus est, quod non formalis formido sit de  
essentia

V.

VI.

VII.

Formido non  
est de essen-  
tia opinionis.

Si

essentia

essentia fidei vel opinionis, sed solum radicalis. Prima pars est Aristotelis expressè 7. Eth. c. 3. ubi sic inquit: Quidam opinantium non dubitant, sed existimant se certò scire. Et patet id ipsum experientià, quã videmus quosdam sine sufficienti fundamento, ac solida ratione ita pertinaciter adherere suis opinionibus, ut non opinari, sed verè scire præsumant, ut oppositum etiam falsum existimant, ut contingit inter Scotistas, & Thomistas, & hoc si fortè ex pertinaci voluntate procedat, ut evenit in hæreticis, qui sua falsa dogmata ita verè existimant, ac ipsas fidei veritates, tunc potius temeritas & præsumptio dicenda est, quàm opinio. Confirmatur: Quia intellectus aliquando assentitur propositionibus propter fidem humanam sine ulla profusa formidine, verbi gratiã: Esse Summum Pontificem Romæ, fuisse Trojani, Horatium Coelitem, totius Exercitus Tuscani impetum in ponte sustinuisse, nihil omninò formidando, cum tamen actus in se debeant habere annexam formidinem, nam ut secundus Lancelotus Abbas Olivetanus demonstrat, has & similes historias potius esse fabulas. Secunda pars est Connimb. hic cap. 26. q. 1. art. 4. citantes Aristotelem eodem capite D. Thomam, & alios; Et patet ex dictis, quia actus opinionis ut sic, est essentialiter fallibilis; ergò formido, & incertitudo actus est de essentia ejus, consequentia est bona, quia formido & fallibilitas non distinguuntur; ergò si essentialiter est fallibilis, essentialiter erit formidolosus. Probatur aut. motivum formale actus opinativi est essentialiter fallibile, ut de se patet, nam si esset infallibile, esset scientia de eo, vel fides divina; ergò ipse actus est fallibilis essentialiter, quia implicat actum esse infallibilem, & de objecto certissimo, quando motivum est fallibile.

## VIII.

**Arguitur.** Repugnat actum esse formidolosum, quin reddat potentiam magis formidolosam; ergò falsum est, quòd formido potentia non sit de essentia opinionis, si ulla est de ejus essentia: probatur aut. à simili, implicat albedinem magis intensam poni in pariete, quin paries sit magis intensè albus; ergò à paritate sic erit in proposito. *R.* Negando aut. cum probationis consequ. & paritatem. Ratio disparitatis est, quia quòd paries sit magis albus, habet præcisè ab albedine intensam magis, quòd sit formidolosa, sed ex alio duplici capite, nempe, vel ex parte motivi, quòd videt non esse evidens, & sic timet ab ipso falli, quando elicit actum, cum ipsum sit in se fallibile, & hoc modo formidant scrupulosi: aliò modò ex imperio voluntatis, quæ imperat, quòd non adhaereat intellectus objecto, quòd ipsi non apparent evidens.

**Instatur.** Implicat poni assensum scientificum in intellectu, quin potentia sit certa & evidens de objecto & certitudine potentia; ergò implicat poni actum formidolosum in potentia, quin etiam ponatur formido potentia in ipsa; probatur consequentia, quia sicut se habet certitudo ad actum scientia, sic habet se formido ad actum opinionis. *R.* negando conse-

quentiam, & paritatem, quia actus scientificus est talis natura, ut nullam patiatur secum incertitudinem, sive in actu, sive in potentia, in quæ est propter formalem repugnantiam, quam habet ad utrumque, formido autem actus nullam habet repugnantiam cum certitudine potentia.

**Instatur.** Non potest poni actus opinativus in intellectu, quin reddat intellectum intelligentem; ergò non potest poni etiam in ipso, quin reddat ipsum formidolosum, ergò consequenter non potest poni magis formidolosus, quin reddat ipsum magis formidolosum. *R.* negando consequentiam, quia ut dixi potentia non habet ab actu, quòd in se sit formido; sed vel à motivo, vel ab imperio voluntatis. Per quæ patet etiam quid sit respondendum ad illam instantiam, quæ ponitur ordinariè contra conclusionem, quòd videlicet, quòd plures essent rationes, eò plus cresceret incertitudo & invidentia, id verum esse ex parte actus, non verò ex parte potentia, quia in potentia potius tunc decreset incertitudo, quamvis crescat in ipso actu.

## QUÆSTIO II.

*An scientia, fides & opinio possint esse in eodem intellectu, circa idem objectum?*

**Quæstio** hæc non procedit de objecto incompleto, verbi gratiã, subjecto cujuscumq; conclusionis scientificæ, quia sic potest haberi fides, scientia & opinio secundum diversa predicata de eodem, sed de objecto complexo, seu de eadem propositione, an possit haberi scientia, opinio & fides? & hoc tam de actibus, quàm habitibus loquendo. Pro cuius difficultatis resolutione revocanda sunt ea, quæ dixi quæstione præcedenti, & insuper notandum, quòd illud objectum possit esse, vel necessarium, vel variabile, quòd est proprium opinionis, opinionemq; posse spectari, vel cum formali formidine, seu potentia, vel cum radicali, seu ex parte actus. Quo prænotato: Circa præsentem quæstionem multæ, eaq; variæ sunt opiniones, præcipuè tamen quatuor. Prima est D. Thomæ, Scoti & suorum, & videtur etiam fuisse Aristotelis, Averrois &c. quæ negat, quòd actus opinionis scientia, & fidei possit esse simul de eodem objecto. Secunda est D. Bonaventuræ, Alensis, Occhami, Gabrielis, & Nominalium, ac Recentiorum frequentissimè, qui e contra dicunt id non repugnare. Tertia est Vasquez, Coning, &c. qui limitant priorem, & dicunt opinionem posse haberi, & stare cum scientia, quæ habetur per species abstractivas, &c. Quarta est Durandi, & Connimb. qui asserunt Opinionem posse stare cum scientia, si medium opinionis, quòd est in se tantum probabile, existimetur esse evidens. Possent quidem plures adhuc species recenseris, sed huc omnes reducuntur. Itaque

**Dico I.** Possunt in eodem intellectu stare simul habitus fidei, scientia, & opinionis. Est Doctoris 3. d. 24. n. 12. Contra Complutenses. Probatur, quia habens habitum scientia de aliqua conclusionem, potest eandem, quando ipsa non ponitur

ponitur medium scientificum, probare per medium probabile, aut assentiri propter testimonium alicuius dicentis, sicut Doctor supra n. 17. de Apollolis, *Recognitio Crucifixionem Christi, non habuerunt fidem de ea, sicut nec dum viderent intuitu, habebat tamen habitum, quo illud credidissent, si non vidissent*, sed in tali casu non perdidisset habitum scientiae, quia postea iterum proposito medio scientifico experiretur se tam facilem ad assentiendum specificè sicut prius; ergo potest esse habitus opinionis, & fidei cum habitu scientiae. Confirmatur Conclusio: Quia habens habitum intus temperantiae, & exercens unum actum intemperantiae, non statim perdit totum illum habitum temperantiae, ergo à pari

**Dices:** Ideo albedo & nigredo sunt naturaliter incompatibiles in eodem subiecto, quia natae sunt causare effectus incompatibiles, ut disgregare & congregare visum, sed habitus scientiae, & opinionis natae sunt causare effectus incompatibiles, scilicet actus; ergo & ipsi erunt simul incompatibiles. R. negando majorem præcisè, sed ideo, quia natae sunt ita causare, ut non possit una applicari ad suum effectum, quin etiam applicetur altera ad suum, si autem duo habitus essent in eodem intellectu scientiae, & opinionis, potest unus applicari ab aliq. eo quod applicetur alter, scilicet si proponeretur unum medium, & non proponeretur alterum.

**Dico 2.** si obiectum complexum sit opinio variabile, non potest de eodem haberi scientia, & opinio simul. Hæc erit utiq; communis, & videtur esse genuina mens Aristotelis, I. Post. cap. ultimo dum dicit: opinionem non esse compatibilem cum scientia simul, & Probatur: Non potest haberi scientia, nisi de necessario, ut patet ex prologomenis, sed si opinionis actus haberet pro obiecto aliquid variabile, & contingens, tunc non posset esse de eodem obiecto, esse actus scientiae, probatur, quia tunc intellectus diceret aliquid non posse se aliter habere, & etiam aliter se posse habere, quia per scientiam, quæ est de necessariis affirmatur aliquid, non posse aliter se habere, & per actum opinionis diceret, posse se aliter habere, quæ sibi contradicunt; ergo.

**Dices:** Intellectum posse utrumq; affirmare per diversa media, adeoq; tunc non esset aliqua contradictio. Sed Contra: Quod aliquod prædicatum sit necessariò connexum subiecto, vel non necessariò connexum, non dependet ex medio cognoscendi, sed ex medio essendi, quod, quia semper ex intrinseca ratione unum est, non potest per unum medium modò demonstrari necessarium, & per alterum contingens.

**Dico 3.** Non possunt de eodem obiecto etiam necessario, simul esse actus scientiae fidei & opinionis cum formidine potentia, seu formali. Hæc etiam videtur esse de mente Authorum, pro prima sententia cit. Probatur: De ratione scientiae est, ut tollat omnem formidinem, & trepidationem; ergo cum scientia non potest stare actus opinionis, cum formali formidine, quia

alioquin certò affirmaret, & non certò affirmaret idem prædicatum de eodem subiecto, quæ sibi similiter contradicunt.

**Dices:** Nullam sequi contradictionem, quia per scientiam assentiretur sine formidine, per opinionem cum formidine, qui sunt diversi actus, adeoq; non causant contradictionem. Sed Contra formido, & securitas, seu certitudo inter se formaliter repugnant, quantumcunq; proveniant ex diversis actibus; ergo opinio habens annexam formalem formidinem, nequit esse cum scientia, quæ secum necessariò deserit securitatem. Deinde si ad salvandam contradictionem sufficeret dicere, & allegare solam formarum pluralitatem, tunc possemus dicere non repugnare naturaliter contraria in summo, in eodem subiecto, verbi gratia, calorem & frigus in aqua, assensum & dissensum in intellectu, velle & nolle in voluntate respectu ejusdem obiecti, si enim inferatur contradictio ex repugnantia effectuum in eodem subiecto, statim poterit responderi, non esse contradictionem, quia illi effectus sunt à diversis formis, & quod voluntas amplectitur hoc obiectum per volitionem, respuit illud idem per nolitionem, quæ doctrina certè evertit totam Philosophiam. Quare si quis contrarium tenet, potius diceret scientiam tollere formidinem, atq; adeò tunc non esset certus, & incertus simul. De quo

**Dico 4.** Si sumatur opinio pro solo assensu probabili sine formali formidine, non potest naturaliter actus scientiae stare, cum fide & opinione. Probatur: Quia ubicunq; adsunt rationes evidentes, pellunt rationes probabiles, sicut lux solis pellit lumen candelæ, & sicut ait Doctor: Dialecticum nihil facit impeditum à demonstrativo veluti à fortiori; ergo nec de hac re ulterior est difficultas. Unde

**Dico 5.** In eadem acceptione non implicat de potentia Dei absoluta, ut de eodem obiecto sit simul fides, scientia, & opinio. Hæc est secunda sententia.

**Probatur primò:** Quia in hoc nulla potest ostendi implicancia, quin Deus possit facere, ut sint simul fides, opinio, & scientia, ergo: probatur ant. non est major, imò fortè minor implicancia, quòd ista sint simul, quàm quòd duo corpora sint in eodem loco, & unum in duobus, calor & frigus in summo sint simul, sed hæc divinitus contingere possunt, ergo & illa.

**Dices:** Repugnantiam esse, quia fides & opinio obiectum obscure repræsentat, scientia verò clarè, claritas & obscuritas nequeunt de eodem obiecto simul consistere, quia non possunt simul esse lux, & tenebræ, ergo. R. negando claritatem, & obscuritatem non posse simul stare, ad rationem dico: quod scientia, & opinio, vel fides non se habeant veluti lux & tenebræ, seu ut forma, & privatio, nam fides non est privatio scientiae, imò forma positiva, quæ in Sacra Scriptura adhuc vocatur *lucerna lucens in caliginoso loco*. 2. Petri 1. unde se habet fides, & scientia per modum majoris, & minoris lucis;

VII.

VIII.

IX.

X.

Naturaliter non stat actus scientiae cum opinione.

Bonè tamen divinitus.

St 2 non

F. Amandi Hermann Logica.

non verò per modum lucis, & privationis, Idem dicitur de opinione.

**Probatur secundò :** Quia multa proponuntur nobis in Sacra Scriptura fide credenda, quæ tamen scimus, & novimus scientiâ propriè dictâ, verbi gratiâ: Deum esse &c. Sed hoc frustra fieret, si circa illa scita non possemus etiam elicere actum fidei simul, cum tamen Apostolus dicat ad Hebræos: *accedentem ad Deum oportet credere quia est*; ergò circa objectum scitum, possum habere etiam actum fidei, sicut probabile est, contigisse in Beata Virgine, & Apostolis, qui clarè & intuitivè sciverunt Christum esse crucifixum, & tamen etiam crediderunt, unde dicit Christus Thomæ: *quia vidisti me Thomas, credidisti*, Joan. 20. Confirmatur prima: Quia ex opposito sequeretur, virum doctum pejoris esse conditionis, quàm rudem, & simplicem, quia hic omnia posset credere fide supernaturali, & meritoria, non tamen ille, atq; vir doctus magno privaretur merito fidei, sed hoc &c. ergò. Secundò: Sequeretur, quòd si vir solemnissimè doctus incidens in hæresin, non posset amplius converti, & justificari, quòd etiam est inconveniens, probatur sequela, potest aliquis talis vir doctus, ob intensissimas species scientiæ habere continuum actum de existentia Dei, toties quoties audit aliquid de Deo dici, sed si vellet iterum justificari & converti, deberet etiam proponenti credere, quòd esset ex textu supra allegato; ergò in tali casu, vel poterit esse simul, actus fidei cum scientiâ, vel talis homo non poterit converti. Et si adversarii recurrunt ad miracula, quòd Deus tunc ob præparationem cordis suspenderet actum scientiæ, ut meritoriè posset credere, cur potiùs non relinquunt illum actum, & concedunt, quòd Deus tunc supernaturalitèr concurrat, ut eodem actu sciat, & credat. Confirmatur tertio: Angeli in via scientiam naturalem habuerunt de existentia Dei, à quâ fortè non poterant cessare, & tamen etiam tunc debuerunt habere etiam actum fidei, & credere quia est, & si dicas, quòd miraculosè cessarint à scientiâ, dicam ego, quòd miraculosè simul cum scientiâ crediderint.

XII

### Probatur Conclusio tertio:

Fides, & opinio, ac scientia non tendunt in idem objectum modo contradictorio, sicut affirmatio, & negatio, sed feruntur omnes sub affirmativo modo, vel sub negativo, ita quòd quilibet secundum proprium motivum illud attingat; ergò non implicat, quòd in eodem intellectu sit simul actus opinionis fidei, & scientiæ de eodem objecto: probatur consequentia, non repugnat, quòd in eodem intellectu de eodem objecto sit actus perfectus, & alius imperfectus, sed actus fidei opinionis tendentes in idem objectum, secundum propriam rationem se habent secundum magis & minus perfectum; ergò possunt in idem tendere: probatur ma. quia apprehensio & iudicium possunt esse de eodem objecto simul in eodem intellectu, sicut etiam cognitio abstractiva, & intuitiva, sed istorum actuum alius est perfectus, alius imperfectus; ergò: ma. quoad primam partem patet, probatur quoad secundam,

quia non videtur implicare, quòd beati videntes intuitivè Deum, eundem etiam possunt cognoscere abstractivè per discursum, & demonstrationem à posteriori; ergò etiam poterit sic actus fidei, opinionis, & scientiæ esse simul, quia non videtur major ratio, quare idem objectum per unum actum possit cognosci ut præsens, & per alterum ut absens, & non possit etiam cognosci per unum actum clarè, & per alterum obscurè. Sed

**Opponitur** Autoritas, tum Sacræ Scripturæ ad Heb. 11. ubi vocatur fides argumentum rerum non apparentium, tum D. Aug. in Enchirid. Laurent. cap. 8. ubi definit fidem, quòd sit convictio rerum, quæ non videntur, ut proinde dicat benè sequi, vidisti; ergò non credidisti & epist. 112. inquit: videntur enim quæ patent, creduntur quæ latent, sed scientia est evidens & clara; ergò non potest esse cum fide, & opinione. Probatur consequentia: Idem objectum non potest esse patens & latens, sed si essent simul idem objectum, posset patens & latens esse, ergò. R. negando consequentiam: Nam autoritas Sacræ Scripturæ aliud non præterdit, quàm quòd actus fidei sint propter motiva credendi, sint argumenta rerum non apparentium, unde per fidem objectum non debet esse apparens, evidens, & patens, licet aliunde præsit esse evidens, scilicet per actum scientiæ, similiter respondeo ad primam auctoritatem D. Augustini, quando autem postea infert: Vidisti ergò non credidisti, distinguo illud consequens, eodem actu concedo, alio actu non posset simul credere, quòd vidit, nego consequentiam, & ad secundam auctoritatem dico, quòd videantur illa, quæ patent per motivum scientiæ, & creduntur, quæ latent per motivum fidei, non verò dicit, quòd possit simul esse actus uterq;.

**Instatur.** Actus fidei est meritorius; ergò non potest esse cum scientiâ, probatur consequentia, quia secundum D. Greg. hom. 16. in Evangelia: *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum*, ergò. R. concessio antequam negando consequentiâ, quia D. Gregorius, ut exponit ipsum Sanctus Bonaventura, nihil aliud vult, quàm, quòd fides tunc non habeat meritum, quando quis tantum ideo vult credere, vel assentiri alicui articulo credendo, ex eo quòd per rationem & experientiam ita compererit esse, prout credendus propositus fuit, & non ideo præcisè, quid Deus hoc revelavit, credendum mandavit, tunc enim assensus non innicitur auctoritati Dei, sed ipsius merito, si aliquis assentiret alicui articulo, non propter suam experientiam, sed solum, quia Deus hoc dixit, actus adhuc erit meritorius, quamvis fortè non in tantum in quantum fuisset, si non didicisset experientiâ, prout ipse Christus dixit Joan. 20. *Beati qui non viderunt, & crediderunt*. Dico notantèr fortè, quia potest in tali casu contingere, quòd majus habeat meritum, vel ex eo, quòd tunc in obsequium fidei suum captivet intellectum, vel ob piam illam animi præparationem, & habitum, quo paratus est credere, etiam si nullo modo cognosceret scientiâ & modo,

modo credit non tam propter scientiam, quam propter revelationem divinam.

**Urgetur.** Sanctus Thomas non credit illud, quod vidit; ergo nulla solutio, nec poterit explicatio facta bona esse per consequens, probatur aut, quia ipse D. Gregorius supra prefatum textum S. Joannis ait: Sanctum Thomam aliud vidisse, aliud credidisse, nam hom. 26. in Evangelia post medium, sic inquit: Dum ergo vidit Thomas, dum palpavit, cur ei dicitur: quia vidisti me credidisti? sed aliud vidit, aliud credidit, hominem ergo vidit, & Deum confessus est: ergo non credidit illud, quod vidit. R. negando ant. ad D. Gregorium dico, quod ille non velit, Sanctum Thomam credidisse idem, & vidisse, quia revera illud credidit, postquam vidit, de quo dubitavit, dubitavit autem an Christus resurrexisset, quod videns etiam credidit, unde Sanctus Gregorius infert, quod adhuc plus crediderit, quam viderit, nempe credidit etiam, Christum Deum esse, quod oculis humanis videre non poterat, ita ut iste sensus sit, Sanctum Thomam vidisse Christum, & cum etiam credidisse, resurrexisse à mortuis & simul ipsum esse Deum. Sed ex ratione etiam in Contra sic

**Urgetur.** Sequeretur, quod in beatis posset fides esse simul cum visione beatifica, sed hoc est inconveniens asserere, ergo. R. Negando seq. Ratio est, tum quia fides est proprie actus viatoris, in cælo verò non sunt viatores, sed tantum comprehensores: tum etiam, quia in cælo non solum objectum clarè & intuitivè videtur, sed etiam motiva omnia, videlicet veritas divina, & revelatio, ideoq; nulla manet omninò obscuritas, quòd si tamen contingeret, ut solum objectum esset accidens, & non motiva, non videtur quare non posset esse fides, & scientia simul in eodem intellectu.

**Arguitur 2.** Scientia est certa, opinio verò incerta; ergo non possunt esse simul, probatur consequentia, quia alioquin sequeretur, duo judicia repugnantia, unum videlicet, quod affirmaret rem non posse se aliter habere, & alterum quod affirmaret posse se aliter habere, quæ sibi contradicunt. R. opinionem sumptam sine actuali, & formali formidine non esse positivè incertam, sed tantum negativè, quatenus videlicet ab incertitudine, & certitudine, per quod adhuc sufficienter distinguitur à scientia, unde licet aliquando sit satis certa ex parte potentia sufficienter à scientia differt, quæ semper debet esse certa, & necessaria, unde permittendo sic explicatum ant. transire, nego consequentiam, ad probationem ejus dico, quod non implicet, ut sint diversa judicia de eadem re secundum diversas rationes, sicut non implicat vinum esse formaliter frigidum, & virtualiter calidum, quia scientia formaliter affirmabit, rem aliter non posse se habere, opinio verò virtualiter, tamen oppositum potest asserere.

**Instatur.** Si opinio est tantum negativè incerta, tunc adhuc non salvatur contradictio; ergo probatur ant. quia scientia est certa, & opinio est non certa, ergo. R. negando ant. ad cujus probationem dico, quod licet scientia dicatur certa, opinio non certa, adhuc tamen non infertur talis contradictio, quæ arguat eorum impossibilitatem, quia in hoc sensu qualibet forma disparata, dicit negationem alterius, ut albedo dicit negationem dulcedinis, & dulcedo negationem albedinis, & tamen possunt esse simul in eodem lacte.

**Urgetur.** Per hoc non salvatur adhuc contradictio, quia per scientiam manet intellectus convictus, per opinionem non est convictus, ergo. R. negando ant. cum probatione, quod enim intellectus convincatur, & non convincatur, pende præcisè ex conditione medi, adeoq; non est aliquid absurdi, quod per unum convincatur, & non per alterum, quia ista duo enuntiantur de intellectu respectu diversorum, unde in tali casu intellectus absolute deberet dici convictus, tum quia denominatio debet sumi à nobiliori, tum quia si diceretur absolute, & sine addito non convictus, cum negatio sit malignantis naturæ, posset credi, quod esset convictus per medium necessarium. Plura vide apud Autores. Et hæc sunt rose vernaes de spinis Logicalibus

**Arguitur 1.** Implicat quod simul sint amor & odium, lux & tenebræ; ergo etiam implicat, quod opinio & scientia sint simul, probatur consequentia, quia quemadmodum odium est privatio amoris, & tenebræ lucis, ita etiam opinio est privatio scientiæ; ergo sicut illa non possunt esse simul, ita nec ista: probatur ant. quia scientia lux ob claritatem, & opinio tenebræ obscuritatem. R. negando consequentiam, cum ant. probationis disparitas est in utroq; assumpto, quia amor & odium, lux & tenebræ, se habent per modum accessus & recessus ad idem objectum, vel ut privatio, & ejus forma, fides autem, opinio, & scientia se habent per modum plurium accessuum, nec una est privatio alterius, sed omnes sunt formæ positive contrariæ, habentes se per modum majoris, & minoris lucis, unde non implicat, quod simul sint, sicut non implicat, quod in eodem subjecto sit major & minor lux.

**Instatur.** Lucente majore luce videlicet sole, candela, verbi gratiâ, nullum producat lumen in aère; ergo sicut scientia habeat se per modum majoris lucis, & opinio per modum minoris, non poterit etiam esse simul, seu opinio nihil producat de luce. R. negando ant. quia fat probabile est, quod tunc candela etiam aliquid producat lucis, licet non tantum sicut sol. R. 2. permittendo transire ant. negando consequentiam, quia secundum communiorem sententiam lux candelæ, & lux solis sunt ejusdem rationis, non verò lux fidei opinionis, & scientiæ, quare nihil vetat, quò minus esse possint simul, sicut in beatis admittitur cognitio vespertina, & matutina de eadem re, prout etiam Doctor 2. d. 3. q. 8. de angelo, in quo admittit cognitionem intuitivam & abstractivam respectu sui ipsius, nec dicas eam frustra esse, quia id non probat, vel impugnat, aut convincit, quò minus simul esse possint.

collectæ, quæ ut immarcescibiles permaneant, impono Viro dolorum, qui vicit, & pugnavit in spinis, & ascendens Rex gloriæ triumphat in Rosis, quas in Patrium Paradisum inplan-

tabit, ut reddat aliquando coronam meritorum, & gratiæ. Omnes characteres personent DEO Gloriam, & honorem Amen Alleluja.

*FINIS DISPUTATIONUM IN LOGICAM.*

